



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmmae Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...**

**Guilelmus <Peraldus>**

**Lvgdvni, 1585**

Tractatvs III. De luxuria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

## TRACTATVS III.

## De luxuria.

De his que faciunt ad detestationem huius vitij PARS I. qua habet  
tria capitula.

De ordine dicendorum in isto tractatu. Et de sex miseriis annexis  
peccato Luxurie. CAP. I.

**H**ERODES autem Tetrarcha, &c. Quia peccatum Lu-  
xurie occasio fuit incarcerationis & decollationis  
Ioannis: Ideo hic dicemus de peccato isto & satis co-  
gruo ordine post vitium gula, quia nascitur ex illo.  
Dicemus autem hoc ordine. ¶ Primo, dicemus de his que faciunt  
ad detestationem huius vitij. ¶ Secundo, de speciebus eius. ¶ Tertio, de  
his que prestat occasionem huic peccato. ¶ Quarto, de remediis  
contra vitium istud. ¶ Quinto, quare Deus prohibuit simplicem forni-  
cationem. Minus enim misericorditer videtur Deus egisse cum gene-  
re humano in hac prohibitione, cum propter hanc prohibitionem fe-  
re totus mundus pereat. ¶ Sexto, tangemus aliquid de impotentia  
continendi quam multi allegant. ¶ Primo, autem faciunt ad detestationem  
huius vitij ista sex que circa hoc peccatum inveniuntur, scilicet anxie-  
tas, poenitentia, erubescencia, furtor, fceditas, infamia. ¶ De anxie-  
tate & poenitentia, dicit Hier. Appetitus fornicationis anxie-  
tas est, fatigatio poenitentia. Nec solum precedit illud peccatum anxie-  
tas appetitus, imo & multae aliae molestiae quas dominus spinas  
vocat. Osee 2. Dicens: Sepiam vias tuas spinis. Spinae illae sunt vi-  
giliae, timores, expensae, & sollicitudines hoc peccatum precedentes.  
¶ O quanta procedunt vigiliae tam modicum festum. Sequitur: Interdum  
extenduntur vigiliae per annum, & sequitur momentanea delectationis  
festum. Tanta est inania luxuriosorum, ut super spinas currant ad mor-  
tem suam, & expensis multis parant sibi viam in infernum. ¶ Ad poenitentiam  
pertinet quod legitur Pro 5. de muliere fallace, per quam voluptas in-  
telligitur. Nouissima autem illius amara quasi ablynthium. Et quaedam  
que sibi abscidit linguam, ut vehementia doloris temperaret vehemē-  
tia recitationis, dixit: Absit ut tamen emam, unde postea poeniteam. Insi-  
piens mercator est, qui forum fecit, unde, certum est quod poenitebit.  
Exemplum: Quaedam virgo aestimans quod delectatio huius peccati quip-  
pam magnum esset, desiderio illius virginitatem suam auferri  
permisit. Deinde videns quod pro tam vili re tantum thesaurum  
amiserat, a deo poenituit, quod voluit se interficere. ¶ Erubescencia  
vero, quae est in hoc peccato, ostendit absconditio. Unde Iob 24.  
Oculus adulteri observat caliginem. Erubescencia autem osten-

dit indecentiam huius peccati. Erubescencia enim fuga est rei indecentis. Magna ergo erubescencia, quæ in peccato isto, ostendit magnam eius indecentiam. ¶ Fœtor etiam est in hoc peccato qui à viris spiritualibus aliquando sentitur. Vnde quidam scholaris præsentiam scorti in domo sua fœtore eius cognoscebat. Et quidam Archidiaconus sentiebat, quum seruus eius fornicatus fuerat. Et de fœditate dicit Senec. In voluptate nihil est magnificum, nihil quod naturam Deo proximam deceat, membrum vilius ac turpium ministerio veniens, exitu fœda. Ista fœditas est inquinatio corporis. Vnde super illud ad Corinth. 6. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, dicit Gloss. Cætera peccata tantum animam maculant, fornicatio verò non tantum animam, sed etiam corpus contaminat. Ibi enim nõ solum est immandicia spiritualis, sed etiam corporalis. ¶ Est etiam infamia in peccato isto. Vnde macula gloriæ vocatur. Ecclesi. 47. Inclinaisti femora tua mulieribus. Et post: Maculam dedisti in gloria tua. Hieronym. etiam dicit hoc peccato pollui que in homine honesta sunt. Palma, inquit, vitiorum est, honesta polluere: tunc vitia bene de aliquo triumphauerunt, quum per peccatum Luxuriæ honesta in eo polluerunt. Ad idem pertinet quod legitur Prouerb. 6. de adultero: Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Non enim habebit opprobrium solum in præsentis, imò etiam in futuro. Vnde de ipso Ecclesi. 22. In plateis ciuitatis vindicabitur, quasi pullus equinus fugabitur: & ubi nõ sperauit apprehēdetur, & erit dedecus omnibus, quia nõ intellexit timorē domini. Luxuriosus quodammodo iam habet gehennam suam. Habet enim ad modum gehennæ ignem, fœtorem, & vermem. Ignem concupiscentiæ. Vnde Osee 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. Et fœtorem, de quo iam diximus, & etiam fœtorem infamiæ, & vermem remordentis conscientiæ.

*Quod quinque faciunt ad derestationem Luxuriæ. Et primò quòd luxuria angelis valde fœtet.* CAP. II.

**A**D derestationem huius vitij faciunt etiã ista quinque scilicet quod vitium istud angelis valde fœtet vel displicet, demonibus valde placet, Deo est valde contumeliosum, proximo valde iniuriosum, subiecto suo valde nociuum. ¶ Primò potest ostēdi tripliciter. Primò, per hoc quod in Vitis patrũ legitur de angelo quodam, quod obturauit nares ad aspectum cuiusdam luxuriosi. ¶ Secundo, per hoc quod scriptum est: Angelis suis mandauit de te,

de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Si filia regis Francia tradita esset alicui vt custodiret eā, nō parum displiceret ei si in eius custodia fornicaretur. Quantū ergo angelis displicere potest si filia regis cœlestis, quibus ipsi ad custodiam deputati sunt fornicantur? Ideo dicit Bern. In quouis diuersorio, in quouis angulo, reuerentiam habe angelo tuo, nec audeas illo præsente quod me vidente non aures. Ad idem potest referri quod dicit Apostolus 1. ad Corint. 11. scilicet quod mulier debet habere caput velatum propter angelos. Tertio, potest ostendi per hoc, quod in isto peccato quædam cōtumelia fit spiritali naturæ, quā anima magis eligit iumentinæ naturæ assimilari, quā in spiritualitate se seruare, & carnē sibi assimilare, à brutali delectatione eā cohibendo. Hoc autē nō fit absq; cōtumelia angelicæ naturæ, quæ est spiritalis natura vt anima; sicut nō fit absq; dedecore aliorū clericorū, quando aliquis clericus apostatat, & fit laicus. malens similis esse rusticis quā clericis. Ad istam tertiam rationem pertinet quod dicit gl. 1. ad Corint. 6. super illud, Qui fornicatur, in corpus suum peccat. In hoc peccato est anima sub corpore. Itē dicit gl. In fornicationis opere sic totus homo absorbetur à carne, vt iam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo possit dici caro

¶ Quod peccatum Luxurie multum placeat dæmonibus.

Quo d' autem multum placeat dæmonibus, primò ostendi potest per hoc quod legitur Iob 40. Behemoth in locis humetibus dormire. Loca humentia sunt Luxuriosi. Secūdo, per hoc quod dicit gl. super Lucā, quod quum dæmones de omni peccato gaudeāt, præcipuè tamē gaudēt de fornicatione & idololatria. Et tangitur ibi causa quare de fornicatione ita gaudeāt: quia ibi corpus & anima maculantur. Tertio, per hoc quod diabolus poterit se iustificare comparatione fornicatorum coram Deo, quū in eo nō inuenietur peccatum quod ipsi habebūt. Quarto, per hoc, quod diabolus procurat vt in dormiendo habeat homo delectationem huius peccati. Quinto, per hoc quod illis qui non habent materiā perpetrandi hoc peccatū, ipse quādoq; ministrat materiā: vt patet in dæmonibus incubis. Sexto, per hoc quod in hoc peccato binos & binos lucratur diabolus homines, & vili foro etiā habet eos. Ad quod pertinet quod legitur Pro. 6. Pretiū scorti vix est vnus panis: mulier autem viri pretiosam animā rapit. Pretiū scorti dicitur esse vix vnus panis: quia vnus panis diutius sedat ardorem appetitus, quā delectatio illius peccati. Fatua autem mulier illo pretio dat animam suam diabolo, & corpus

locatori, pro quo non daret alicui forculares suos &c.

*¶ Quod peccatum Luxurie sit contumeliosum Deo.*

EST etiam istud peccatū valde cōtumeliosum Deo. Quod primò potest ostēdi per hoc q̄ honorabiles persone huius seculi tantū dedecus reputant sibi quum filia eorū fornicantur: quā tā ergo cōtumeliā faciūt filia celestis regis patri suo quū fornicantur: Secundò, per hoc q̄ tantū dedecus est sp̄s nobilibus, quum sponsa eorum adulteratur. Ad hoc pertinet quod legitur Prou. 6. Zelus & feror viri non parceret in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquā precibus, nec suscipiet pro redēptione dona plurima. & exponit hoc glo. de cœlesti sp̄s. Tertio, per hoc q̄ quū vilissima pars quæ in ipso fornicatore est, imperet ei q̄ dñs prohibet, ipse potius illi vili parti, quàm Deo obedit, potius eligens sibi eandē dominari quàm Deū. Quarto, per hoc q̄ tēplum Dei violat & polluit. Ad quod pertinet q̄ legitur 1. ad Corint. 3. Nescitis quia tēplum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autē tēplum Dei violauerit, disperdet illum Deus. & p̄st: Tēplū Dei sanctū est, q̄ estis vos. & p̄st 6 Nescitis quoniam corpora vestra sunt tēplū Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis à Deo, & nō estis vestri? vnde & sequitur: Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deū in corpore vestro. Glorificandus est Deus in corpore tanquā in tēplo. Cōtra luxuriosos potest dici ps. iste: Deus, venerunt Gētes in hereditatē tuā, polluerūt tēplū sanctū tuū, posuerunt Hierusalē in pomoriū custodiā. Et super illud, Portate Deū in corpore vestro dicit gl. Si nō parcis tibi propter te, vel parce tibi, p̄pter Deū, qui sibi fecit tēdomū pro se. Quintò potest ostēdi quā cōtumeliosum sit peccatum istud Deo, ex hoc q̄ luxuriosus illud dulcius reputat quod Deo est cōtumeliosius. Magis enim amat interdū cōiugatā turpē quā solutā pulchrā, vnde nō videtur quærere in peccato suo voluptatem suam, sed Dei cōtumeliā. Vnde Hiero. Luxuriosa mens inhonestā ardētius prosequitur, & q̄ nō licet, dulcius suspicatur. Sextò, patet per hoc quod hoc peccatū cōtumeliā Dei publicā negotiatione facit, & q̄ purē est peccatū publicū officii efficit, q̄ speciale est huic peccato & peccato vsuræ: & idē Ecclēsia persequitur ista peccata præ cæteris. Septimò per hoc q̄ istud vitii præponit delectationē vilium & turpiū membrorum deliciis quæ in Deo sunt, quæ contumelia valde magna est.

*¶ Quod peccatum Luxurie sit iniuriosum proximo.*

HOC etiā peccatum est valde iniuriosum proximo, quod tripliciter potest ostēdi. Primo per hoc quod aufert ei non sua, sed

seipsum. Vnde Prou. 6. Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit. Furatur enim ut esurientem impleat animam. Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus sue tradet, & liberabit se: qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: vnde mulier fatua non aufert tantum sua stultitia, sed seipsum. Nota quod adulterium accidit propter cordis inopiam. Indignare enim cor si haberet vilissimam partem suam se subiciat, & pro tanta vili lenocinio se dari. vnde Eccles. In multa sapientia multa est indignatio. Vel propter cordis inopiam, id est, sapientie defectum. Secundo, potest ostendi per hoc quod ille qui hoc vitio laborat, nulli fidem seruat. Vnde 2. Reg. 11. Dauid suum fidelem militem fecit occidi pro vxore eius. Ad idem pertinet quod legitur 2. Reg. 13. de Amon qui sororem suam Thamar corrupit. Tertio, potest ostendi per hoc quod vitium istud multis aufert hereditatem suam. vnde legitur Eccle. 23. Mulier omnis relinquens virum suum, peccabit, ita ut hereditatem ex alieno matrimonio.

*Quod peccatum Luxuria sit nocuum proprio subiecto.*

EST etiam hoc vitium valde nocuum subiecto suo. Aufert enim pecuniam illi, aufert & bona temporalia & spiritualia, & etiam seipsum. Ad primum pertinet quod legitur Pro. 29. Qui nutrit scortum, perdet substantiam. & Luc. 15. de filio prodigo qui dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose, propter bona vero omnia quae destruxit, comparatur igni. Vnde Iob 31. Ignis est usque ad consumptionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Hier. Flamma vero igne perurit scemina conscientiam, ad hoc quod ipsum hominem auferat sibi. Pertinet quod legitur Osee 4. Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor. Amas amore fatuo non habet cor suum. Ipsum etiam corpus quandoque amittit. Vnde 2. Reg. 13. interfectus est Amon quia corrupit Thamar. Hier. Quotidie sanguis mœchorum funditur, adulteria danantur. Honorem etiam aufert hoc vitium & incrementum honorum. Vnde Gen. pen. Ruben primogenitus meus, & subiungit: Prior in donis, maior imperio: supple debueras esse. Sed sequitur: Non crescas, quia maculasti cubile patris tui, &c. Praeter ceteris iure debebatur ei honor primogeniturae & duplicitas in possessionibus, quod amisit, quia cubile patris maculauit.

*De alijs quatuor quae faciunt ad detestationem huius vitij. Et primo quod est multum efficax ad hominem capiendum. CAP. III.*

IN huius peccati detestationem faciunt etiam alia quatuor, scilicet hoc, quod vitium istud multum efficax est ad hominem capiendum, & multum potens ad detinendum hominem, & etiam ponit in magna vilitate & in misera seruitute. Ad primum perti

pertinet quod dicit Aug. Efficacissimū glutinū ad capiēdas animas est mulier. Et prou. 6. de muliere mala: Multos vulneratos deiecit: & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Ad idē facit quod legitur Num. 24. quod hoc peccatum præ cæteris elegit Balaā, quo deiiceret filios Israël, & faceret eos peccare, Hoc vitium capit nobiles & ignobiles. vnde Hier. In serico & in pānis eadē libido dominatur, nec regum purpuras, nec mendicantiū squallorem spernit. Hoc vitium vincit & sapiētes & insipiētes. vñ Hier. Quid Salomone sapientius? & tamē infatuatus est amore mulierum. Eccl. 19: Vinū & mulieres apostatare faciūt etiā sapiētes, Breuiter istud peccatū ferē totū mūdū ad infērū trahit. vnde Abac. 1. Totū in hamo suo subleuauit, totum traxit in sagena sua, & cōgregauit in reti suo. Hamus, & sagena, & rete diaboli, sunt pulchræ mulieres, quæ totum mundum in perditionē trahunt.

¶ *Quod Luxuria est potens ad retinendum.*

POTENS est etiam hoc peccatum ad retinēdū. Vnde Prou. 22. Fouea profunda os alienæ: cui iratus est dñs, incidet in eā: qui in profundā foueā cadit, nō exit de facili: sic nō de facili euadit de manibus diaboli qui capitur pulchritudine alicuius mulieris. Ideo dicitur de ore mulieris, quod sit profunda fouea, potius quā de alio mēbro: quia pulchritudo huius mēbri multos capit: qui hoc vitio laborat, vix potest cogitare de his quæ pertinent ad salutē suā, Deū quasi non cognoscit, ad cælū etiā non leuat oculos: adēdō brutalis factus est, quod verba correctionis vel admonitionis suæ non potest audire. Ad duo prima pertinet quod legitur Osee 5, Nō dabūt cogitationes suas vt reuertātur ad dominū: quia spiritus fornicationis in medio eorū, & dominū nō cognouerunt. Ad tertium facit quod legitur Dan. 13. de senibus qui exarserunt in Susannā, & declinauerunt oculos suos vt nō viderēt cælū, nec recordarentur iudiciorū iustorū. ¶ Ad quartū pertinet quod legitur Eccl. 21. Verbū sapiēs quodcunque audierit sciūs laudabit, & adiiciet, audiet luxuriosus, & displicebit sibi, & proiciet illud post tergū suū. Vix ergo emēdatur aliquis de peccato isto, quū ea fugat quæ possūt esse occasio suę liberationis.

¶ *Quod luxuria ponit hominem in magna vilitate.*

PONIT etiā hoc vitium hominē in magna vilitate, ad quā vilitatē & turpitudinē exprimēdā, quasi turpiter loquitur scriptura de vitio isto. vnde Ioēl. 1. Cōputruerūt iumēta in stercore suo. Greg. Iumēta in stercore suo cōputrescere, est homines in fetore Luxuriæ vitā finire. In Psal. Disperierunt in Endor, facti sunt sicut sterco terra. Endor, interpretatur fons generationis. vñ

Endor

Endor pars illa intelligit<sup>r</sup> quæ operi carnali & generationi deseruit. Propter hanc vtilitatē cōparatur sui. Prou. ii. Circul<sup>9</sup> aureus in narib<sup>9</sup> suis, mulier pulchra & fatua. Sus si ex vna parte videret volutabrū, & ex alia parte lectū roseū, pri<sup>9</sup> curreret ad volutabrū. Sic tales immūditā luxurie, delitiis paradisi preponūt. Licet diabol<sup>9</sup> intelligi posset sus ista, & mulier ipse circul<sup>9</sup> quē diabolus immergit in lutū omnis immunditiæ. Ad eādem vilitatē pertinet quod legitur Eccl. 9. Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via ab oībus prætereūtibus cōculcabitur.

¶ *Quod luxuria ponit hominem in misera seruitute.*

IN misera etiā seruitute ponit hominē vitium istud, nō solū, quia facit spiritū seruū eius qui sibi naturaliter deberet seruire, sicut corporis sui, sed etiā vilissimæ parti illius. Sed etiā propter seruitutē mulierū quæ est valde misera. Vñ Tul. Illū ego nō liberū dicā, cui mulier imperat, leges imponit: vocat, veniendū est: elicit, abeundū est: poscit, dādum est: minatur, extimescendū est. Hūc ergo nō tātū modo seruū, sed nequissimū seruū ego iudico. Hic. Nihil vili<sup>9</sup> q̄ a carne vinci: nil glorioſius q̄ carnē vincere.

¶ *Luxuria videtur esse de numero peccatorum illorum de quibus dæmones erubescunt.*

PRÆTEREA Luxuria videtur esse de numero peccatorū illorum de quibus etiā erubescūt dæmones. Vnde gl. super illud Ezech. 16. Dabo te in animas odientium te filiarū Palæstinarū, quæ erubescunt in via tua scelerata. dicit gl. loquēs de spirituali Hierusalē: Tanta miseriæ Hierusalē erit correctio, vt erubescāt etiā dæmones nostrorū magnitudinē peccatorū. Cui<sup>9</sup> ratio esse pōt hæc: peccatū diaboli, est, superbia: hominū verō, luxuria, & alia carnalia peccata. Luxuria verō videt<sup>r</sup> esse turpior superbia, quæ quia min<sup>9</sup> turpis creditur, minus vitatur. Luxuriā eō magis erubescūt homines, quia oēs turpē nouerūt. Præterea dicūt Magistri q̄, sunt aliqui dæmones q̄ memores sūt antiquæ nobilitatis, nō dignātur de luxuria tentare. Signū ad hoc est, q̄ Lucifer tentans dominum in deserto, non tentauit eum de luxuria.

*De speciebus luxuriæ. PARS II. quæ habet decem capitula.*

*De Luxuria cordis & corporis.*

CAP. I.

SEQUITUR de speciebus luxuriæ. Diuiditur autem Luxuria, vno modo in duas species, scilicet in luxuriam cordis, & luxuriā corporis. Ad has duas species pertinet quod legitur in Psal. Vt renes meos, & cor meū. Cōtra primā speciem est necessarium vt ad mamillas zona aurea sim<sup>9</sup> præcincti, secūdū q̄ vidit Ioānes Apo. 1. Cōtra secundā oportet nos præcinctos esse ad renes, secūdum

visio



visionē, Ezech. 9. & Dan. 10. Leuavi oculos meos, & vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis & renes eius accincti auro obrizo. Incontinentia verò cordis valde periculosa est propter hoc q̄ ille qui laborat hac specie incontinentiæ, peccat mortaliter toties quoties videt pulchram mulierem. Id̄o dicitur sagena eorum cor mulieris fatuæ. Eccl. 7. Inueni amariorem morte mulierē, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Sagena totā aquam occupat: sic corde fornicatur cum omnibus fatua mulier.

*De acceptione huius nominis Luxuria, & quòd enumerantur quinque species secundum vtraque acceptionem.* C A P. II.

**A**Lio modo diuiditur Luxuria in quinque species. Notandū tamen est q̄ hoc nomen Luxuria quandoque sumitur largius, quādoque minus largè. ¶ Primo modo Luxuria dicitur in ordinatus amor delectationis, quæ secūdu tactū est: sicut vitium Gulæ est inordinatus amor delectationis quæ est secūdu gustū: & cupiditas inordinatus amor pecuniæ: & secūdu hoc potest diuidi Luxuria in quinque species. ¶ Quartū prima pertinet ad suauitatē vestiū & lectōrū. ¶ Secūda, ad suauitatē vnctionū qua antiqui utebātur. ¶ Tertia, ad suauitatē balnearū. ¶ Quarta, ad tactus immundos illos membrorum quæ generationi nō deseruiūt. ¶ Quinta pertinet & ad mēbra generationi deputata. ¶ Et istæ species luxuriæ vocātur Luxuria, secūdu quod hoc nomē Luxuria strictè sumitur. Et diuiditur in quinque species. ¶ Prima, est simplex fornicatio. ¶ Secūda, stuprū, quod est illicita defloratio virginū. ¶ Tertia, est adulteriū, qd̄ est ad alteri⁹ thorū accessio. ¶ Quarta est incestus, qui est cōsanguinearū vel affiniū abusus. Sub qua specie cōprehendi possunt peccata sanctimonialiū & etiā religiosorū. ¶ Quinta est, peccatū cōtranaturā, qd̄ fit duobus modis: quādoq; enim est, contra naturā quo ad modū, v̄ cū mulier supergreditur, vel cū sit bestiali modo illud opus, tñ in vase debito: quādoq; verò est cōtra naturā quantū ad substantiam, vt cū quis procurat vel cōsentit, vt semē alibi q̄ in loco ad hoc deputato effundatur. De quo vitio cū magna cautela loquendū est in prædicādo, & interrogationes in cōfessionib⁹ faciēdo, vt nihil hominibus reueletur qd̄ illis præster occasionē peccādi. Et nota q̄ diabolus dicitur habere duas manus, quib⁹ frequēter homines capit, s. Gulam & Luxuriā. De quibus exponitur illud Psal. Cōsiderat peccator iustum: s. diabolus, & querit mortificare eum: dominus autem non derelinquet eum in manibus eius. Quinque digiti in prima manu, sunt quinque species Gulæ, quæ notantur in hoc versic. Præproperè, lautè, nimis, ardentè,

denter, studiosè. Quinq; digiti in secunda manu, sunt quinque species dictæ. *De peccato contra naturam. cuius magnitudo octo modis ostenditur.*

## CAP. III.

Inter quas primo prosequemur de vitio cōtra naturam. Magnitudo hui⁹ peccati potest ostēdi octo modis. Primo, illis testimoniis scripturæ quæ hoc vitium asserunt maximū, vel nimium. Quale est illud quod dicitur Gen. 14. Homines autē Sodomitæ erāt pessimi, & peccatores, corā Deo nimis. Et 18. dicit dominus: Clamor Sodomorū & Gomorchaorū multiplicatus est: peccatū eorū aggrauatū est nimis: descēdā & videbo, &c. Greg. Nouitas tātē & inaudita turpitudinis quā admirationē & dubitationē parit in audiente. Vñ dominus quasi admirans & dubitans, super tanto scelere, introducit loquēs: Descēdā & videbo, &c. Incredibile eñ mihi videtur homines tantū flagitiū perpetrassē. Et nota q̄ de duobus peccatis, scilicet de homicidio & de vitio cōtra naturam, legitur clamor ascēdisse ad dominū: quia laborantes his duobus vitiis specialiter hostes Dei sunt & generis humani. Facto enim etiā non verbo, dicunt ei: Mascultū & fœminā creasti vt multiplicarentur, nos operā dabimus vt minuantur. Vnde quasi parificatur homicidio vitium istud. Ad istū etiā primum modū pertinet quod legitur de Ioseph Gen. 37. Accusauitque fratres suos apud patrem suum crimine pessimo, id est, de vitio cōtra naturam secundū vnā expositionem. Ad eundem modum pertinet illud verbum Aug. Adulteri; malū fornicationem vincit, vincitur ab incestu: peius enim est eñ matre, quā cum aliena vxore dormire. Sed omnium horum pessimum est quod cōtra naturam fit: vt si vit membro mulieris nō ad hoc concessio vtatur hoc execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore. Vnde & Clemens papa: Grauius peccant fornicati; id est, valde grauius: grauius adulteri; cūctis his grauius incestuosi: quos omnes transcendunt contra naturā delinquētes. Secundo, potest ostendi magnitudo huius peccati per vindictā iam sumptam à dño de peccato isto. Prima autem vindicta huius peccati fuit diluuiū. Inter alias causas enim diluuij ponit hoc Methodius, q̄ mulieres in vesaniā versæ, supergressæ viris abutebantur, & q̄ exarserant homines in alterutram cōiungentes. Secunda fuit subuersio quinque ciuitatum. In qua vindicta attendendum est, q̄ Dominus nō solum nocētes puniri voluit, sed innocentes paruulos etiā vnus diei. In hoc prouisum est pueris ne diutius viuentes sequerētur exempla patrum, & grauius damnarentur. Et etiā circumiacentes regiones puniri

puniti

puniti voluit: nec solū etiā homines, imò etiā animalia & terre  
 nascencia. Ipsam quoq; terrā destruxit, eam conuertēdo in ma-  
 re mortuū in quo nihil viuit, nec auis, nec piscis. Etiā cādela vi-  
 ua supernacās extincta mergit, quali igne infernali sumpta est  
 ista vindicta. Nec potuit expectare ignis iste, donec carera pec-  
 cata punirentur. Vnde Grego. Gehennalis flāma motā non lu-  
 stinens, Sodomorū prauentit tollere nationem, & ipsam terram  
 tantæ confusionis cōsciētia cōsumpsit ignis sulphureus & spiri-  
 tus procellarū, & in lacum horribilem iolum omne redactum  
 est. Et Genes. 19. Dominus pluit super Sodomam & Gomorram  
 ignem & sulphur de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem  
 eadē regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terra  
 virentia. Respicēs etiā vxor Loth post se, versa est in statuam  
 salis, ad ostendēdum quantum displiceat Deo memoria huius  
 peccati. Tertia vindicta fuit de Onan, de quo legitur Genes. 38.  
 q̄ semen fundebat in terrā, & idcirco percussit eum dominus,  
 eò q̄ rem detestabilem faceret. ¶ Tertio potest ostendi magni-  
 tudo huius vitij per pœnam huic peccato taxatam. Vnde Leuit.  
 20. Qui dormierit cum masculo fœmineo coitu, vterque ope-  
 ratus est nefas: morte moriātur, sanguis eorū super eos. ¶ Quar-  
 to, per cōminationem quā facit Deus huic peccato. Vnde Ioël.  
 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Iosa-  
 phat, & disceprabo ibi cum eis. Et subiungitur causa vna disce-  
 prationis: quia posuerunt puerum in protibulo. Quinto, potest  
 ostendi per hoc q̄ Scriptura ita detestabiliter loquitur de pecca-  
 to isto. Vnde ad Roman. 1. Masculi in masculos turpitudinem  
 operantes. Non dicit aliquod turpe, sed ipsam turpitudinē vo-  
 cat peccatum istud. Et ibidem: Vt contumeliis afficerēt corpo-  
 ra sua, &c. Propterea tradidit illos Deus in passionēs ignomi-  
 niæ. Et Leuit. 18. Cum masculo non cōmisceris coitu fœmineo,  
 quia abominatio est. Et Symmachus dicit, quod ineffabile est,  
 & non debet homo loqui de peccato isto. ¶ Sexto quod multi  
 antiqui inueniuntur non reputasse adulterium vel stuprum re-  
 spectu huius peccati. Gen. 19. dicit Loth Sodomitis: Nolite, qua-  
 so, fratres mei, nolite hoc malum facere: habeo duas filias quæ  
 nondum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini  
 eis. Et Iud. 18. Habeo filiam virginem, & hic homo habet cōcu-  
 binam: educam eas ad vos, vt humilietis eas, & vestrā libidinē  
 impleatis: tantū hoc obsecro, vt scelus hoc contra naturam nō  
 operemini in virum. ¶ Septimo, potest ostendi magnitudo hu-  
 ius vitij, per hoc q̄ illud peccatum est adinuentio. Deus enim mul-

multò odit adinventiones in peccatis. Vnde super illud Esa. Vifirabo super fructū adinventionū vestrarū: dicit Greg. Deus plus punit studia peccatorū, quā peccata. Et in Plal. Ibunt in adinventionibus suis. Item, Corrupti sunt. & abominabiles facti sunt in studiis suis. ¶ Octavo potest ostendi magnitudo huius vitij per multiplicē effectū ipsius. Hoc vitium fœdus inter nos & Deū rumpit. Genus humanū quantū in se est, deltruit, hominem iumento inferiorē reddit. Propter hoc vitium fili⁹ Dei desit incarnari, vt dicit authoritas. Ad primum pertinet quod dicit Aug. Hoc vitio violatur societas quæ nobis cū Deo esse dicitur dū natura, cuius ipse author est, peruersitate libidinis polluitur. Sicut aliquis quū alius deteriorauit sibi rē suā, dicit, Vestra sit. Sic Deus illū quē ipse fecit hominem masculū, quum videt quòd ipse fecerit se fœminam, nō reputat creaturam suam. Secundū vero planū est. Tertium verò potest ostendi per hoc, q̄ ille qui peccat peccato isto, nō obseruat legē, quā etiam bruta animalia obseruant. Aliæ species luxuriæ iumento assimilant hominē, sed hæc inferiorē reddit. Ideoq; Sodoma bene muta interpretatur: quia hoc peccatū reddet homines mutos in die Iudicij. Nō poterunt enim excusare se per ignorantia, quum ipsa natura legem docuerit ipsa bruta animalia, quam isti transgrediuntur.

*De incestu, cuius peccati magnitudo quatuor modis ostenditur.*

## CAPVT. IIII.

**S**equitur de incestu, cuius peccati magnitudo potest ostendi. ¶ Primò per pœnā taxatam huic peccato in lege. Postquam enim dominus prohibuit incestū & peccatum contra naturā, Leui. 18. subiungitur: Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiā, peribit de medio populi sui. Et eiusdem 30. taxatur pœna eadem huic peccato. ¶ Secūdo potest ostendi per hoc, q̄ Apostolus tradidit Satanæ cruciandum illum fornicatorem, qui cum nouerca sua peccauerat: secundū quod legitur 1 ad Cor. 5. ¶ Tertio potest idē ostendi per mala quæ ex hoc peccato sequuntur: vnde legitur 2. Reg. 12. q̄ Amō qui sororē suam corruerat, interfectus est à fratre suo Absalō. Nisi homines ab hoc peccato cauerent sibi, sequerentur inde non solum odia & homicidia, sed etiā fratricidia. ¶ Quarto potest ostendi per hoc quòd peccatum istud hominem quasi canem reddit. Canis enim in opere illo non obseruat consanguinitatem.

*De Adulterio & speciebus eius, cuius magnitudo in septem ostenditur.*

## CAPVT V.

**S**equitur de adulterio: quod diuiditur in duas species: scilicet

D d

in simplex adulteriū, quod est cum vxoratus peccat cum soluta & econuerso. Et in adulteriū duplex, quod est cum vxoratus peccat cum vxore alterius. ¶ Septem autem sunt per quæ potest ostēdi magnitudo huius peccati. ¶ Primò per hoc, q̄ est cōtrarium sacramento matrimonij quod ipse Deus instituit & in paradiso, & in statu innocētia. Vnde nō sit contumelia tanto sacramento absq̄, magna contumelia Dei. ¶ Secūdo per hoc, q̄ est contrarium iuri naturali. Vnum enim ex præceptis iuris naturalis est hoc, Quod tibi nō vis fieri, alij ne feceris. Hoc nullo modo vellet alijs sibi fieri, vt quis cū vxore sua peccaret. Multi sunt qui potius permitterent se interfici, vel exheredari, quàm hoc sustinerēt. Ius ergo naturale dicit homini, q̄ hoc nullo modo debeat facere alij, quod ab eo odit sibi fieri. ¶ Tertio potest ostēdi per hoc, qd̄ prohibitio adulterij in Decalogo, immediatē ponitur post prohibitionē homicidij, & ante prohibitionē furti, vnde Clemēs Papa: Quid in omnibus peccatis adulterio grauius? Secundū enim in p̄nis tenet locum; id est, in prohibitionibus. Homicidio quodammodo assimilatur adulterium. Cum enim vir & mulier sint vna caro: qui aufert vxorem suā alicui, idem est ac si seipsum ei auferret. Exuperat autē istud peccatum omne furtū: quia quod aufertur, cū sit creatura rationalis, melius est quacunq̄, terrena substātia. ¶ Quarto potest idē ostēdi per legē quæ habetur Leui. 10. Vbi sic dicitur: Si merchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum vxore p̄ximi sui, morte moriatur: moriatur & merchus & adultera. Eadem p̄na punitur hoc peccatū secundum leges mundanas, nec recipitur aliqua redēptio: Quinto ostenditur idem per hoc q̄ legitur Dñs dixisse Dauid cū adulterans esiet, 2. Reg. 12. Nō recedet, ait, gladius de domo tua, vsq̄, in sempiternum, eò q̄ despexeris me, & tuleris vxorē Vria Hethæi. ¶ Sexto potest ostēdi per mala quæ inde sequuntur. Sequuntur autem ex hoc peccato exhæredationes filiorum. Vnde Eccl. 22. Mulier relinquens virum suum peccabit statuens hæreditatē ex alieno matrimonio. Sequuntur etiā inde homicidia. Vnde Dauid cū in adulterium cecidisset, fecit interfici fidelem militem suum. Sequitur etiā inde multities, vt scilicet quis cognoscat filiā patris sui, vel eius vxorē, ignorans quis sit pater eius. ¶ Septimò potest ostēdi magnitudo huius peccati per iudiciū zelotypiæ: de quo Num. 5. Si declinasti à viro tuo atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subiacebis. Per te Dominus in maledictionem exemplūque cunctorum in populo.

populo. Putrefacere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus dirumpatur, &c. & Ezech. 35. Vnusquisque vxorem proximi sui polluit: & hæreditate terram possidebitis.

*De Stupro, cuius peccati magnitudo ostenditur. CAP. VI.*

**S**equitur de Stupro, quod est illicita defloratio virginū. Cuius peccati magnitudo ostēdi potest. ¶ Primò ex hoc q̄ Sichen filius Emor, qui Dinā filiam Iacob deflorauit, interfectus est hac de causa cū patre suo & toto populo vrbis suæ: vt legitur Gen. 34. ¶ Secundò potest idē ostendi per hoc q̄ idem peccatū aufert virginitatem, cui debetur fructus centesimus: cū coniugacis debeat solum tricesimus, viduis solum sexagesimus. Satis deteriorat terrā, qui facit vt non possit reddere nisi sexagesimum fructū, vel tricesimum, cū prius redderet centesimum. Qui illicitè deflorat aliquam, aliquādo est occasio mille fornicationū, quas ipsa faciet postea. Sicut ille qui primò rumpit clausurā vineæ, occasio est illius dāni quod faciūt qui postea intrāt, qui aliter nō intrassent Et aufert ei quādoq; q̄ nunquam de cætero maritum habebit. Ad detestationē etiam huius peccati facit q̄ bonum quod ipse aufert, scilicet virginitatis bonum, est irrecuperabile & irecompensabile. Vorū virginitatis non recipit dispensationem, quia nec recompensationē.

*De simplici Fornicatione. CAP. VII.*

**A**d simplicis fornicationis detestationem sufficere possunt quæ dicta sunt de luxuria generaliter. Addere tamen hoc possumus, q̄ hoc peccatū est detestabilius etiā homicidio vel rapina, in hoc q̄ illa nō sunt substantialiter mala: potest enim aliquis velle occidere aliquē meritorie, sicut iudex amore iustitiæ. Et aliquis potest accipere alienū in summa necessitate: sed nullus potest fornicari scienter, quin mortaliter peccet. Ponamus q̄ aliquis malum non cogitauerit, nec dixerit, nec fecerit, & omnia egerit bona quæ excogitari possunt, & semel tantum fornicatur, & sic decedit absque pœnitentia, ex necessitate damnabitur. Si omnes missæ quæ vsq; ad finē mundi celebrabūt ab ecclesia pro eo celebrarētur, nō liberaret eum à morte æterna. Ad detestationē etiam istius peccati facit quod legitur Numer. 25. q̄ cū esset fornicatus populus Israël cū filiabus Moab: iussit Dñs cunctos principes populi suspendi in patibulis contra solem. Et occisi sunt de populo xxiii. millia hominū. Et Phinees qui interfecit Zabui coeuntem cū Madianitide, sacerdotium sempiternum meruit, & irā Dei à populo diuertit. Et licet fornicatio genus sit omnis illiciti coitus: qui fit extra

vxorem: tamen specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.

*¶ De peccato meretricum.*

Ad detestationē huius fornicationis quæ fit cū meretricib<sup>9</sup>, facit hoc, q̄ quādo aliquis se credit cū talibus peccare simplici fornicatione, ipse quādoq; cōmisit adulteriū vel incestū. Sape enim tales mulieres cōiugatae sunt, & forsitā à cōsanguineis ei<sup>9</sup> q̄ peccāt cū eis cognita. Vnde cōmittit se, q̄ cū talib<sup>9</sup> peccat magno discrimini. Et licet nō sint cōiugatae vel affines ei, ipsæ tamē æquē peccāt ac si forēt: ex quo æqualis est cōtēpt<sup>9</sup>. Ad detestationē verò illi<sup>9</sup> fornicationis q̄ fit cū viduis, facit hoc q̄ peccās cū talibus aufert eis honorē. Ad detestationē verò eius q̄ fit cū cōcubina, facit hoc, q̄ talis fornicatio fit cū scādalo p̄ximi.

*¶ De raptu.*

Est autē alia species luxuriæ præter prædictas, q̄ Raptus dicitur. Est autē rapt<sup>9</sup>, cū puella violēter à domo patris educitur, vt corrupta in vxorem habeatur, siue puella, siue p̄cipuas vis illata constiterit. Hoc peccatum tantum est, q̄ morte punitur.

*De alia diuisione Luxuriæ. Et primo de Luxuria Clericorū. C A P. VIII.*

**T**ertio modo potest diuidi peccatū Luxuriæ secundum diuersitatē subiectorū in quibus est, vt diuidatur in luxuriā laicorū, clericorū & religiosarū personarū. ¶ De luxuria verò laicorū nihil aliud dicemus quā de luxuria: in genere dictū sit. Sed de aliis duab<sup>9</sup> speciebus dicemus, quia grauius est peccatū illud in clericis religiosis p̄sonis: & aliter p̄derandū est in eis, quā in laicis. Vnde p̄odus sanctuarij maius erat ceteris p̄deribus mercatorū & ciuium, ad designādum, q̄ aliter ponderanda sunt peccata laicorum & peccata eorum qui sancti deberent esse, quibus dicitur in Esa. Mundamini qui fertis vasa Domini.

*¶ Quæ aggrauant peccatum carnis in clericis.*

**S**EPTEM autē sunt quæ aggrauant peccatū carnis in clericis in sacris ordinibus cōstitutis. ¶ Primū est, voti fractio, & est ista circūstātia valde aggrauās peccatū, q̄ satis apparebit, si aliquis attēdat quā pretiosum sit qd̄ talis aufert Deo, & q̄ res sancta sit. Hæ duæ circūstātiæ aggrauare solēt peccatū rapinæ: pretiositas rei quæ rapitur, quia magis dānificatur p̄ximus: & sanctitas ipsius quia tūc nō est solūm furtū, imò etiā sacrilegium. Castitas verò quā iste promisit Deo cū sacros ordines suscepit, quā Deo aufert cū fornicatur, res irrecōpēabilis est. Vnde Eccl. 26. Omnis p̄deratio nō est digna animę continētis. Res etiam sancta est, cū sit Deo oblata. Vnde contrectatio eius inuito dño facta

facta est sacrilegiū. ¶ Secundū est scandalū & derisio populi. Vnde Hier. Clericus aut honestior est cæteris, aut aliis est fabula. ¶ Tertiū est sciētia: vnde Greg. Vbi maius est sciētia donum trāsgressor maiori subiacet culpa. ¶ Quartū est hoc, qđ ad seruitiū Dei assumpti sunt. Sicut enim q̄ fornicat in ecclesia, magis peccat, quā q̄ fornicatur in domo cōmuni, eo qđ ecclesia sit Dei seruitio deputata: sic maius est peccatū luxuriæ in clericis qui sunt Dei seruitio deputati, quā in laicis. ¶ Quintū est, qđ ipsi sunt de familia Dei, & eius expēsis viuunt, & vestiuntur: proditores enim sunt quādo illū impugnāt, de cuius bonis viuunt & vestiuntur. Et Dei cōtumelia etiā maior est: quia à suis contēnitur: vnde in Plal. Si inimicus meus maledixisset mihi. ¶ Sextū est hoc, qđ ipsi decipiunt populum qui dat eis eleemosynas, vt ipsius peccata deleant orando, & gratiā impetrēt sanctitate vitæ suæ: quod ipsi nō faciūt, quia secundū Greg. cū indignus ad intercedendū mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Ber. Qui ambulāt in carne, Deo placere non possunt, & placere velle præsumūt. ¶ Septimū est, dignitas officij, ad quod ordinati sunt, quod specialiter pertinet ad sacerdotes. Sicut enim grauius peccaret qui calicē benedictum in lutum proiiceret, vel aliter macularet, eō qđ ad cōtinendum Dominicū sanguinē sit deputatus: sic sacerdos valde peccat grauius, qui ad suscipiendū Dominicū corpus & sanguinē ordinatus est, quando peccato carnis se maculat. Et sicut etiā ille grauius peccaret, qui in calice inquinato manētē immunditia in eo sanguinē Dñi poneret: sic valde grauius peccat ille qui foetore luxuriæ inquinatus antequā ab immunditia illa se abluerit, corpus & sanguinē Dñi sumere præsumit. De quo Amb. Qui indignè Christum sumit, idē est ac si interficiat: & Aug. super illud ad Hebr. 10. Irritā quis faciens legem Moyse, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit? Conculcat Christum qui liberè peccat, & absque timore, & qui eo indignè participat.

¶ *Quod peccatum Luxuria valde indecens sit in sacerdote.*

NOTA qđ peccatum Luxuriæ valde indecens est in sacerdote. Et hoc quinque de causis. Et quia homo, & quia Dei minister, & quia Angelus, & quia plulquā Angelus in aliquo, & quia videtur Deus, vicē enim Dei tenet. Ad primum enim facit illud Seneca: Voluptas nihil habet magnificū, nihil quod naturam Deo proximam deceat ministerio membrorū vilium ac turpium veniens. Appetitus fornicantis est brutalis concupi-



scientia brutorum viso delectabili tam citò accenditur, & non habet in potestate sua vt eam temperet vel extinguat. Sic fornicator vult appetitum suum implere quantumcumque malū inde sibi accidere debeat. ¶ Ad secundū nota, quòd si diuites huius seculi tantum amant munditiam in eis qui sibi seruiunt cibum præparado, quid ille de quo legitur in Cant. Qui pascitur inter lilia: id est, puritate delectatur? Aug. Melius est spiritualia penitus omitti, quàm impurè tractari, vel tangi. In ecclesiasticis officiiis dominus non frequentiam ministrorum, sed deuotionem probat animorum. Ad tertium pertinet quod legitur in Malac. 3. cap. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia angelus domini exercituum est: plus est etiam quàm angelus, quantum ad dignitatem sacerdotale, quam non credimus angelis esse concessam. Non enim si proferret angelus verba illa, Hoc est corpus meū: Hic est sanguis meus: fieret transubstantiatio: quia nõ habet ordinem qui ad hoc exigitur. Nec angelis legimus dictum esse, Quorum remisistis peccata remissa sunt: vt legitur discipulis dictum Ioan. pen. Hoc tamen verbum sanè intelligendum est. ¶ Est etiam vt Deus. Vnde super illud Matt. 16. Vos autem quem me esse dicitis: dicit glo. interli. vos ab aliis discreti non homines, sed dii. Et in Leuit. Diis non detrahes: & principi populi tui non maledices. Et quale est hoc, quod ille amat vt porcus qui est vt Deus.

*De peccato carnis in personis religiosis, cuius magnitudo peccati sex modis probatur.* CAP. IX.

**C**onsequenter ostendendum est quomodo aggrauetur peccatum carnis in religiosis personis. Et primo ostendemus hoc generaliter in quibuscunque religiosis personis. deinde specialiter in sanctimonialibus. Et nota quòd septem circumstantiæ aggrauantes peccatum clericorum qui sunt in sacris ordinibus constituti, possunt similiter ad peccata religiosarum personarum referri. Sed causâ breuitatis de hoc ad præsens dimittimus. ¶ Sex autem sunt per quæ ostēdi potest quomodo aggrauetur hoc peccatum in religiosis. ¶ Primū est hoc, quòd Moyses narrat Gen. 6. tāquā causam diluuij: Cū cœpissent, inquit, homines multiplicari super terram, & filios procreassent: videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt vxores sibi ex omnibus quas elegerant. Si enim displicuit tantum Deo quòd filij Dei filias hominum in vxores acceperunt, quantum credendum est displicere Deo cū filij Dei cum filiabus hominum fornicantur? ¶ Secundum est, quòd cœtus religiosorum nobilior

paris

pars est in corpore Christi, scilicet ecclesia: unde per faciem in-  
 telligitur, & ideo sponso Ecclesiæ maximè displicet macula in  
 eis: unde ipse dicit in Can. sponsæ: Ostende mihi faciem tuam.  
 Qui magnam alicui vult facere contumeliam, maculat ei faciē.  
 Unde Iudæi in faciem Christi expuerunt, vt contumelia maior  
 esset. Sic Christo cōtumeliam magnam faciunt, qui faciē spon-  
 sæ, pro qua abluenda faciē propriam sputis Iudæorū expoluit,  
 maculant vel in se vel in aliis. ¶ Tertium est hoc, q̄ peccatum  
 carnis in religiosis apostasia est. Si enim qui habitum religionis  
 deserit, apostata iudicatur: cum castitas magis substantialis sit  
 religioni quàm habitus qui castitatem deserit, apostata est. Un-  
 de de tali verum est, quod legitur Prover. 6. Homo apostata vir  
 inutilis. Nec quantū ad Deum utilis est: quicquid enim facit in  
 claustrō, nō valet ei ad meritū vitæ æternæ. Et quo ad homines  
 inutilis est, cum eis sit scandalo & derisioni. ¶ Quartum est hoc,  
 q̄ diabolus ita studet & laborat vt religiosos faciat cadere, præ-  
 cipuè in peccatum carnis. Unde Eccle. 13. Venatio leonis onager  
 in cremo. Leo est diabolus, cuius venatio est monachus in ere-  
 mo claustrī. Diabolus est quasi leuator. cibos inuisitatos quarēs.  
 Unde Habacuc 3. Incrassata est pars eius, & cibus eius electus.  
 ¶ Quantū placeat diabolo peccatum carnis in religiosis, potest  
 ostendi ex hoc, quod legitur in diabolo Gregor. quod Andreas  
 Fundanæ ciuitatis episcopus, cū vitam virtutibus multis plenā  
 duceret & continentē, quandam monialem quā secū prius ha-  
 buerat, noluit ab episcopi sui cura repellere, certus de sui & eius  
 continētia. Sed hostis eius cœpit speciem oculis eius imprime-  
 re, aditum tentationis exquirēs. Quadam verò die Iudæus qui-  
 dam de Campania Appiam tendēs, cū iam esset nox, nesciens  
 quò declinaret, iuxta Apollinis templum se contulit. Nocte ve-  
 rò media dum præ timore vigilaret, vidit malignorum spirituum  
 turbam in ecclesiam aduenire, quorum princeps discutere cœ-  
 pit quid egissent. Et post multum venit vnus qui in Andree ani-  
 mum per speciem sanctimonialis quādam tentationem carnis cō-  
 mouisse aperuit. Cū verò malignus spiritus qui præerat in-  
 hians audiret, adiunxit, q̄ ad hoc peruenit tentatio, vt die præ-  
 terito in terga eiusdē sanctimonialis feminae alapā daret. Tūc  
 blandè exhortatus est eū, vt perficeret, quod cœperat, vt singu-  
 larē palmā teneret. Tunc Iudæus accedens ad episcopū, dilige-  
 ter ab eo, licet hoc celare vellet, extorsit. Quē episcopus ad fidē  
 monuit, & baptizauit. Ad idē facit quod legitur in Viris patrū,  
 quod dicebat quidam Thebasus senex, q̄ filius fuisset sacerdotis

idolorum. Et cum quadam die videret patrem suum in templo sacrificantem idolis, vidit & sathanam cum malitia sua astutem. Quae cum singuli daemones adorarent, retulerunt facta nequitiae suae. vnus ait, Per xxx. dies homines vnus provinciae plurimos occidit. Alius dixit, per xxx. dies plurimos se submersisse in mari. Alius se per decem dies interfuisse nuptiis, & sponsum & sponsam occidisse, & multam effusionem sanguinis incitasse. Hoc audito omnes sathan flagellari iussit. Tandem vnus ait, per xl. annos incitasse se quendam monachum in eremo ad peccandum, & vix illa nocte copulasse eum fornicari. Tunc surgens & osculans eum imposuit ei coronam quam habebat, dicens quid maximum fecisse. ¶ Quintum est hoc, quod dominus legitur ita graueri puniuisse peccata illa quae in claustris sunt commissa. Primum claustrum fuit in caelo, in quo ipse Deus abbas fuit: in quo quidam conspirationem fecerunt, & absque spe veniae damnati sunt. Secundum claustrum fuit in terrestri paradiso, in quo qui inobedientes fuerunt, de paradiso expulsi & morti cum tota successione sua damnati sunt. Tertium claustrum fuit in principio Ecclesiae, in quo Petrus fuit abbas, in quo qui proprietarij esse voluerunt, morte subitanea perierunt. Causa autem quare peccatum in claustro commissum adeo Deo displiceat, potest esse duplex. Vna tangitur Esaiae 26. vbi sic legitur: In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dei. Multum displicet Deo quod diaboli filius locum occupet, in quo deberet esse vir sanctus. Secunda causa est: quia claustrales debent esse serui Domini, proprie proprij. vnde valde magnam contumeliam reputat sibi hoc Deus, quum a talibus se contemni videt. ¶ Sextum est hoc, quod vita claustralis est angelica vita. Imitari enim debet angelicam vitam in puritate per castitatem. In carne enim praeter carnem viuere, non humanae est naturae, sed virtus angelicae. Et in charitatis seruire vsque ad omnium communionem. Et in persecutione obedientiae: vt sicut in caelo, sic ibi voluntas Dei perfecte fiat. Claustralis ergo angelus est. Ergo vel malus vel bonus. Si malus est, diabolus est vel daemon. Nihil enim aliud est malus angelus, quam diabolus. Et sic claustrales luxuriosi sunt daemones incubi. Hier. Professis Christianae religionis militiam, nihil est medium inter angelos & daemones. Aut enim erunt angelis aequales, aut demonibus non impares. ¶ In claustralibus videtur hoc peccatum maximum esse & indecens: quia spiritualissimi deberent esse. Et hoc peccatum praeter ceteris carnales eos reddit. Efficitur enim in hoc peccato homo totus caro. Macula enim intolerabilis est in oculo, quae parum grauet in alio membro. Viri enim contempla-

tium

tiui sunt vt oculus.

¶ *De peccato carnis in Monialibus.*

SEQUITUR de peccato carnis in sanctimonialibus. Quod adeo graue est, quod non est sola fornicatio, imò est ibi adulterium, & incestus, & stuprum, & quasi peccatum contra naturam. Adulteriũ est ibi, quũ sit accessio ad spõsam Christi. ¶ Et valde est graue genus adulterij, si attèdatur, quod desponsata sit Altissimo quanto enim nobilior est cui desponsata est, tãto maior est contumelia. Ipsi enim est desponsata, cui angeli deseruiũt. Attèdere etiam debet qui eam sollicitat, quod sponsa est dñi sui. Vnde cum peccato adulterij, erit ibi crimen proditiõis. Hoc autem attendebat Ioseph. qui dominæ suæ dicere sibi, Dormi mecum: dixit Genesi. 39. Quomodo possum facere hoc malum, & peccare in dominum meum? Attendere etiam debet, quod sponsa ista est adeo dilecta à dño suo, quod inclusit eam. Oblita est populum suum & domum patris sui, vnde concupiuit rex decorẽ eius. Iuxta verbum Psal. Ad hoc adulteriũ specialiter potest referri, quod legitur Prou. 6. Zelus & furor viri non parceret in die vindictæ. Stuprũ etiam, id est illicita defloratio virginis, frequẽter est ibi. Incestus etiam & valde graue genus incestus: quia cum vxore patris. Vnde ad hoc potest referri quod legitur 1. ad Cor. 5. Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Ad idem potest referri quod legitur Genes. pen. Ruben effusus es sicut aqua: nõ crescas, quoniam ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Est etiam quodammodo ibi vitium contra naturam, quum fornicatur cum mortua, & iam sudario inuoluta. Religiosæ personæ quæ perfectè ordinem suum seruant, continuè sudarium suum ferunt. quia in habitu suo sepeliuntur.

*De his que dant occasionem peccato Luxuriæ. PARS III.*

*Que habet septem capitula.*

*De incitamentis Luxuriæ. Et primò de otio, & indiscreta sumptione cibi & potus. CAP. I.*

DICTO de his quæ faciunt ad detestationem Luxuriæ, & de speciebus eius, dicendum est de his quæ præstant occasionẽ huic peccato. Quæ sunt octo scilicet otium, indiscreta sumptio cibi & potus, exortatio vetularum vel aliarum personarum quæ consiliatrices sunt turpitudinis, & prauum exemplum, aspectus mulierum, colloquium, auditus, cantilenarum amatoriarum, vel instrumentorum musicorum, & turpiloquiorum, & tactus.

¶ Quod otium det occasionem huic peccato, patet ex scriptis

ethnicorum, & etiam ex sacra scriptura. Vnde poeta: Quaritur Ægyptus quare sit factus adalter: In promptu causa est, desidiosus erat. Et Ezech. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ fororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium. ¶ De indiscreta sumptione cibi & potus, quomodo sit causa luxuriæ, satis dictum est, ubi de vitio gulæ supra in principio diximus. Dicit etiã Hierony. quòd difficile inter epulas seruetur pudicitia. Et Ber. Periclitatur castitas in deliciis. Item Hiero. Pro membrorum ordine ordo vitiorum est. Hinc dicitur quòd membra generationi deputata seruiant peccato.

¶ *De peccato vetularum turpitudinem consulentium.* C A P. II.

**M**Ulra autem sunt per quæ potest ostendi magnitudo huius peccati. ¶ Primum est hoc, quòd peccatum istud est diabolicum. Opus enim diaboli est operam dare vt hominẽ deiciat in peccatum. Sic studium vetularum talium est, vt mulieres inclinẽt ad peccatum. Nec habent de illo peccato quandoque nisi foetorem & potum vnum vini. Vnde Ioel. 3. Puellam vendiderunt pro vino, & biberunt. ¶ Secundum est hoc, quòd opus earum magis est noxium quàm opus diaboli. Vbi enim nec homo nec diabolus potest aliquid facere per se, ibi facit vetula. Vnde posset rectẽ dici diabolã, eo quòd in peccato diabolo assimilatur. A peccato enim habet diabolus, quòd sit diabolus, qui est à creatione angelus. Posset etiam dici sathan, quod interpretatur aduersator. Efficacius enim aduersatur salutĩ eius quàm mouet ad malum, quàm ipse diabolus. ¶ Tertium per quod potest ostendi magnitudo huius peccati, est pœna serpenti à domino inflicta. Serpens enim quem diabolus sibi elegit, vt per eum mulierem deiceret, eò quòd mulieri assimilaretur (erectus enim tunc erat, & secũdum Bedam, vultum virgineum habes) significat rectẽ has vetulas quas diabolus elegit ad alias mulieres deiciendas, eò quòd sint eis similes. Licet autem serpens tanquam creatura irrationalis non intellexerit quid fecerit, tamen in tribus punitus est, cum mulier in duobus punita sit tantum, & vir tantum in vno. Vir etiam quia in solo esu peccauit, in labore querẽdo sibi edulium punitus est. Vnde dictum est ei: Maledicta terra in opere tuo &c. Mulier superbiuit, & in fructu peccauit, ideo Deus eam humiliavit, dicens, Sub viri potestate eris. Et in fructu eius punit eam, dicens, In dolore paries. Serpens vero, quia hominẽ deiecit, prostratus est, quum prius erectus incederet. Vnde dictum est ei, Super pectus tuum gradieris. Quia habuit in ore mendaciũ, ideo in ore eius positum est venenum. Et in cibo

punitus

punitus est. Vnde dictum est ei: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Quia mulierem decepit, ideo dictum est ei: Inimicitias ponam inter te & mulierem. Et post: Ipsa cõteret caput tuum. Et est argumentum, quod mulieres sanctæ multum debent odio habere tales vetulas: non naturam, sed vitium earum. Et nisi se correxerint, procurare eo modo quo secundum Deum poterunt, ut à vicinia sua expellant eas. Qualiter ergo punietur vetula quæ intelligunt peccata quæ faciunt, si sic serpens punitus est qui non intellexit? Sicut serpens in ore punitus est, sic punientur & ipsæ. Et quia vinum pro peccato, quod faciunt bibunt: fel draconum erit vinum earum, & venenum aspidum insanabile. Iphis etiam dicitur: Non terram comedes, sed carbones comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et quia se planam vel pontem diabolo fecerunt, ut per eas ad mulieres diabolus transfret, ipsæ prostratæ conculcabuntur, & vadent super eas horribiles, ut ait Iob.

¶ Quartum est, quod legitur Ecc. 28. de lingua tertia, ubi sic habetur: Mulieres fortes deiecit: vel mulieres viratas, secundum aliam literam, vel etiam maritatas. Et quibusdam interpositis, subiungitur: Et utilis potius inferus, quam illa. Ignis infernalis non exurit nisi illos qui adducuntur, & qui hoc meruerunt: sed lingua tertia iniustissime vrit igne peccati, etiam illos qui sibi nihil nocuerunt.

¶ Quintum est hoc, quod vetula talis se habet sicut lingua in corpore diaboli, quod est congregatio malorum. Ex quo satis potest ostendi, quod multa malitia sit in huiusmodi mulieribus. Si enim tantum est malitia in lingua unius hominis, ut habetur in Cano. Iac. 3. quantum credenda est habere malitia lingua diaboli? De lingua hominis dicit Iacob: Lingua nostra ignis est vniuersitas iniquitatis. Et post, quæ maculat totum corpus, & inflamat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehēna. Et iterum: Lingua est inquietum malum, plena veneno mortifero. quæ de lingua diaboli verissime possunt dici, si de vetula. Præterea cum diabolus ut faber sit, iuxta illud Esaiæ 54. Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas. Et iuxta illud Iob 41. Halitus eius prunas ardere facit. Vetulæ istæ sunt ut folles ipsius. Attestatur autem nigredo vetularum huic officio. Ipsæ etiam vetulæ sunt quasi larvæ sub quibus latet diabolus, & in quibus operatur. Si enim se manifestaret in propria forma, horrorem mulieribus incuteret. Ipsæ etiã reæ sunt prodicionis apud Deum, cuius castra explorat, & procurant ut diabolo tradantur. Præterea, quum Christus in tempore passionis laborauerit usque ad sudorem sanguinem, & tantum dolorem sustinuerit, quod non sui

fuit dolor sicut dolor eius, & tātū expēderit. Ibi enim fractū est alabastrū, & vnguentum misericordiæ effusum in tanta abundantia, q̄ eum senserunt cœlū & terra, & infernus: vnicā tamen animam, s. latronis, in actu lucratus est ibi. Ex quo satis patet quantum peccent hæ vetulæ etiā si nō auferrent nisi vnam animam Deo in tota vita sua, cū tale damnū faciāt ei, quale lucrū ipse fecit in cruce. Itē si prædicator vnus non lucraretur in tota vita sua nisi vnicā animā, multum faceret, quū vna anima plus valeat, quā omnes diuitiæ huius mundi. Igitur si aliqua vetula toto tempore vitæ suæ nullū aliud malū faceret, nec corde, nec ore, nec opere, nisi quod vnam animā Deo auferret, nimis esset. Itē si aliquis vendidisset vnum de vicinis suis comedēdo & bibendo cū eo aliquibus qui cū corporaliter iugularent, valde malus iudicaretur: vel si quis ad tantā malitiam peruenisset, q̄ pro duodecim denariis hominem vnum corporaliter interficeret. Quā mala ergo iudicanda est quæ tot mulieres vendit ad interficiendū eas spiritualiter, comedendo & bibendo cū eis. Et quæ non pro duodecim denariis, sed pro potu vno vini interdum in mortē vnus animæ consentit. Præterea incendiarij, qui furtim domos & acervos manipulorū incendūt in gueris, peiores cæteris reputantur, & maximè sunt exosi. Vetulæ autem istæ incendiariæ sunt. Luxuriā enim, quæ ignis est vsque ad consumptionē deuorās, vt legitur Iob 31. in cordibus hominum ponunt. Nec parcunt etiā tēplis: fideles enim tēpla sunt Deo in baptismo dedicata. Itē si nullū tale sacrificiū est Deo, vt zelus animarum, nullū tale sacrificiū est diabolo vt perditio earum, & nihil sic Deo displicet. Vetulæ tales videntur propriè esse de familia diaboli. Et sicut voluit Christus vt super apostolos apparerent linguæ igneæ, ad ostendendū q̄ officiū eorū erat verbis corda hominum igne cœlesti inflammare: sic diabolus si vellet officium istarum vetularum hominibus ostendere, linguas igneas igne fœtido inferni faceret super eas apparere.

*De malo exemplo per quod excitatur Luxuria. CAP. III.*

**M**alum exēplū licet vniuersaliter multū timendū sit, præcipuè tamē exēplū huius peccati: quia in mēbris generationi deputatis maximè sæuit cōcupiscentia. Vnde summo studio vitāda sunt vbi fornicarij conuersantur: quia non accideret de facili q̄ aliquis videret aliquos fornicari quin tentaretur. Vnde Eccl. 19. Qui se coniungit fornicariis, erit nequā. Et Apost. 1. ad Cor. 5. loquēs de Corinthio fornicatore: Nescitis quia modicū fermētū totū massam corrūpit? Expurgate ergo vetus fermētū.

Et

Et Senec. Vnum exemplum auaritiæ vel luxuriæ multum mali facit. Etiam cum eis qui sunt in matrimonio non est tutum habitare illis qui virginitatem vel castitatem volunt seruare.

*De aspectu mulierum qui valde timendus est. CAP. I. III.*

**A** spectus mulierum valde timendus est, vt potest ostēdi & auctoritatibus & exēplis, & rationibus. Auctoritatibus. Vnde super illud Genes. 3. vidit mulier & c. dicit Greg. Nō licet intueri quod nō licet cōcupisci. Itē Greg. Pēfandū est quantū visum debemus restringere, qui mortaliter viuimus, si mater viuentiū per oculos ad mortē venit. Et Eccl. 9. Virginē ne cōspicias, ne forte scādalizetis in decore eius. Et pōst: Auerte faciē tuā à muliere compra. ¶ Exēplis potest idē ostēdi. Vnde Gen. 34. Cū vidisset Dinam Sichē filius Emor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit illā, & rapuit. Et Genes. 39. Iniecit domina oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Et 2. reg. 11. vidit Dauid Bersabee lauantem se ex aduerso super solariū suum. Erat tunc mulier pulchra valde. Et subiungitur: Missis itaque Dauid nuntiis tulit eā. Et de Iudith 16. legitur: Colligauit cincinnos suos mitra ad decipiendum eum. Sandalia eius rapuerunt oculos eius. Pulchritudo eius captiuam fecit animam eius. Cincinnos vocat capillos in ferie vna congregatos. ¶ Multis etiam rationibus potest ostēdi q̄ valde timendus sit nobis aspectus mulierum. Quarum quadam sumuntur ex parte mulierum, & alia ex parte oculorum. ¶ Ex parte mulierum sumere possumus tres rationes, ad hoc ostendendum. Prima est hæc, q̄ à planta pedis vsque ad verticem non est locus in mulieribus, in quo non sit positus laqueus ad capiendum oculos. Quod satis innuitur Iudith 16. Dicitur ibi: Colligauit & c. vt suprā, ecce laqueus in vertice. Sandalia eius rapuerunt oculos eius: ecce laqueus in pedibus. Et Ecclesia. 7. Inueni mulierem amariorem morte, quæ laqueus est venatorum, & sagena cor eius. Vincula sunt manus eius. Hoc dicitur, vt qui in manibus eius tenetur, sciat se esse in vinculis diaboli. Et Prouer. 7. Ecce occurrit mulier ornata meretricio, præparata ad capiendas animas. ¶ Notandum q̄ diabolus excoriat mulieres, pellem honestæ conuersationis ab eis remouendo, ad miluos, id est, ad luxariosos capiendos, qui sunt animalia ignobilia quæ ad extra volant. Ad idem solent canes vel murilegi excorari. Mirum est quomodo hoc toleratur inter fideles, quod mulieres sic præparent se ad interfectionem animarum. Si quis faceret foueam in via, & eam cooperiret, non toleraretur. Fouea autē profunda est meretrix: vt legitur in Prouerb. 23. Item

Eccle



Ecclesia. 9. Ne respicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos eius. ¶ Secunda ratio quare aspectus mulierum sit timendus, est hæc, q̄ mulieres in aspicientibus se solo visu igne infernalem succendunt etiam à remotis. Vnde Eccles. 9. Ne circumpicias speciem alienam. Propter speciem mulieris perierunt multi. Et ex hoc concupiscētia quasi ignis exardescit. Tertia ratio est, quia non est aliqua pars in eis qua quasi gladio nō vtantur in necem se aspicientium. Hiero. Gladius igneus est species mulieris, quasi ex omni parte sui sagittas mittens. Ad quā sagittationē pertinet quod legitur Prou. 7. Donec transfigat sagitta iecur eius. Et paulò pōst: Multos vulneratos deiecit. Nō est hoc mirum, si multos interficiat, eū densescat multitudine telorum, sicut porcus qui dicitur spinaticus multitudine spinarum.

¶ *Quod oculi dant occasionem sepe peccato Luxuria.*

Ex parte verò oculorū possunt sumi septem rationes. ¶ Prima, est q̄ oculi sunt valde veloces ad nocendum animæ. Ideo prædonibus cōparantur. Thren. 4. Oculus meus deprædatus est animam meam. Prædones timeantur multum propter sui velocitatem. ad idē pertinet quod dicit Gregorius super illud Gen. 3. Vidit mulier &c. Deprimendi sunt oculi à lasciuia suæ voluptatis, quasi quidam raptores ad culpam. Non enim Heua lignum contigisset, nisi prius incauē respexisset. ¶ Secundo timendi sunt oculi, quia à remotiori nocēt. Gustus & tactus sunt eorum quæ sunt immediata: sed visus nō sic. propter hanc causam multum timetur balitarij & sagittarij. ¶ Tertio, quia oculi contra nos multis armis vtuntur. Piures enim differentias rerū nobis ostendit visus, quàm ceteri sensus. Sensus iste ministrat materiam tentandi nobis, & quantum ad concupiscētiā carnis, & quantum ad concupiscētiā oculorum, & quantum ad superbiam vitæ. Vnde philosophus: Totius hominis libertas, est perdidisse oculos. Oculi sunt per quos paupertatem ferre nō possumus. Oculi tota nostra luxuria sunt: hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant. ¶ Quarto, quia duces sunt scelerū. Inter latrones magis timeantur qui vias scientes aliorum sunt duces. Senec. Intelligēdum est partem esse innocentie cæcitatē. Huic oculi adulterium mōstrant, huic incestū, huic domum quā concupiscat, irritamenta sunt malorum, duces scelerum. ¶ Quinto propter corruptionem magnā quæ in oculis est. Ad quā corruptionem, primo facit facilitas laedendi, quam videntur habere à natura, etiam quantū ad peccatū. Cui attestatur facilitas laedendi corporaliter, quæ est in eis. Dispositio enim corporalis  
attesta

attestatur frequenter dispositioni spirituali. Ad idē facit hoc q̄ naturaliter cuitodiūtur oculi tāta diligentia. Multis enim tunicis inuoluti sunt à natura, & palpebra etiā exteriori defenduntur, & etiā obiectiōne manus, si opus fuerit. Eiusdem etiā facilitatis lædēdi signum videtur esse hoc, q̄ per oculos ad matrem nostrā mors intrauit. ¶ Secundo facit ad corruptionē istam hoc, q̄ multi corrupti fuerunt in primo peccato. Vnde post comestionem pomi sequitur in Genesi: Et aperti sunt oculi eorū. Quod intelligitur quo ad motus concupiscentiarū. Nō enim intelligendum est, q̄ quasi palpones & cæci accesserunt ad lignū vitū. Vnde super illud Matth. 7. Quid autē vides festucā. dicit gl. Oculus qui in paradiso post culpā est reueratus, videt non vnde proficiat, sed vnde in deteri⁹ cadat. ¶ Tertio corrupti sunt ex diuturna cōsuetudine peccandi. Tanta autem corruptio ista est, q̄ quasi inuitus concupiscit homo quod videt oculus. Vnde super illud Job 31. Pepigi fœdus cū oculis meis &c. dicit gl. Fœdus cū oculis pepigit, ne prius incautē aspiceret quod postea inuitus amaret. ¶ Sexto ideo sunt multū timēdi oculi, q̄ vsus eorū est valde necessarius: quāto enim est vsus magis necessarius, tāto & abusus est magis timendus. Licet lingua valde corrupta sit, tamen includi potest longo tempore, & sic cessando ab eius vsu cauet homo ab eius abusu. Sed oculi non cessant videre, vnde nō cessant peccare. Vñ 2. Pet. 2. Oculos habētes plenos adulteriij, & incessabilis delicti. ¶ Septimo sunt oculi timēdi, quia sunt quasi duæ portæ in castro corporis nostri, quibus si dominetur diabolus, simpliciter erit dominus corporis nostri. Dominus qui habet portas alicuius castri, habet & castrum. Vnde Job 31. post illud: Pepigi fœdus &c. Subiungitur: Quam enim partē haberet in me Deus desuper? Vbi insinuat q̄ nihil habet Deus in homine, si oculos non habeat: sicut non est dominus castri, qui non habet ibi ingressum & egressum: & vt breuiter dicam, quam breuis sit omnis malitia super malitiam mulieris, vt legitur Ecclesi. 25. & nihil oculo nequius creatum sit, vt legitur eiusdem 30. quum in aspectu mulierum hæc duo valde timenda coniunguntur, constat aspectum mulierū valde timendum esse. Ideo Job sciens oculos esse hostes valde nociuos, fœdus cū eis pepigerat, vt nec cogitaret de virgine. Ideo etiā leguntur quidam philosophi sibi oculos eruisse. Vnde Hiero. Nō doleas si hoc non habeas quod formicæ, & muscæ, & serpentes habēt, carnis oculos: sed illum oculū te habere latere, de quo in Cantico. Vulnerasti cor meum, soror mea spōsa in vno oculorū tuorum.

rum. Denique quosdam mundi philosophos legimus, vt totam cogitationem ad puritatem cogerent, sibi oculos eruisse: in hoc tamen non debemus eos imitari.

*Quod colloquium mulierum valde sit timendum.* CAP. V.

**C**olloquiū mulierum valde timendū est. Quod patet primò per hoc q̄ sermo mulierum insinuat̄ esse rete. Prou. 7. vbi sic legitur, de fallace muliere: Irretiuit eum sermonibus multis. ¶ Secūdo ex hoc q̄ comparatur igni. Ecc. 9. vbi sic legitur: Colloquium illius quasi ignis exardescit. ¶ Tertio ex hoc quòd comparatur gladio acuto. Prouer. 5. Fauus distillans, labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem eius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.

*De auditu cantionum amatoriarum, turpiloquiorum, & instrumentorum musicorum.* CAP. VI.

**A**uditus cationum valde timendus est. Vnde Eccl. 9. Cum salatrice ne sis assiduus, nec audias illā, ne forte pereas in efficitia illius. Ad auditū turpiloquiorū possumus referre qđ dicit Apof. 1. ad Cor. 15. Corrupt̄ bonos mores colloquia mala. Musica etiā instrumenta multū sunt timēda. Frāgūt enim corda hominū & emolliūt. Et ideo secūdū verbum Sapiētis essent frāgēda.

*Quod tactus mulierum sit valde periculosus.* CAP. VII.

**T**actus mulierum valde periculosus est, sicut potest ostendi multis testimoniis scripturę. Et primò ex hoc quod legitur Ecclesi. 9. Cum muliere aliena ne sedeas omnino, nec accūbas cum ea super cubitum &c. Secūdo ex hoc quod legitur Ecc. 26. Qui tenet eā, quasi qui apprehendit scorpionem. Tertio ex hoc quod legitur ecclesi. 7. Vincula sunt manus eis. Quarto ex hoc quod legitur Prou. 6. Nunquid potest homo abicōdere ignē in sinu suo, vt vestimenta eius nō ardeāt: aut ambulare super prunas vt nō cōburātur plāta eius: sic qui ingreditur ad vxorē proximi sui, nō erit mundus quū tetigerit. eā. ¶ Ad idē facit exemplū Andreae episcopi suprā positū, qui sanctimonialē percussit manu, de qua percussione princeps demonū adeo lętatus est. Ad idē facit exemplū quod habetur in dialogo de quodam sacerdote qui habuerat concubinā, sed eā dimiserat, & ei nō cohabitabat, imò sanctissimē vivebat. Tādē eo agrotāte ad mortē, & circumstantibus dubitantibus, vtrū iā spiritus recessisset, illa que tūc ibi erat accessit propē tētura vtrū adhuc spiraret: ille autē vidit eā, & cū magno conamine locutus ait: Recede mulier, recede: adhuc viuit igniculus, tolle paleā. Ad idē facit quod legitur in Vitis patrū, de quodā fratre, qui volēs cū matre trāsire flumē, ma-

nus suas inuoluit pallio eius, & portauit eam vltra: & interrogatus ab ea, cur hoc faceret. Respondit: Corpus mulieris ignis est, & eo ipso quod contingebam te, veniebat mihi in memoriam de alijs mulieribus.

*De remedijs cōtra Luxuriā. PARS IIII. quæ habet quatuor cap.*

*De triplici remedio contra peccatum Luxuriæ. CAP. I.*

**D**ictum est de his quæ dant occasionē Luxuriæ, cōsequenter dicendū est de remedijs cōtra hoc peccatū. Quū autē Luxuria sit ignis, sicut patet ex prædictis, necessariū erit triplex remediū contra eam, sicut contra ignē nimiū triplex solet adhiberi remediū, scilicet aut per aquæ effusionem, aut lignorum subtractionē, aut elongationem. Verbi gratia: Si olla quæ iuxta ignē est adeo ebulliat vt effundatur quod in ea continetur, ali-quod horū trium fieri cōsuevit: vel aqua frigida ollæ infunditur, vel de lignis subtrahitur, vel olla ab igne elongatur. Sic etiā faciendū est contra ignem luxuriæ. Si quis videret se tentari à peccato illo, consilium vnum est vt ad aquam recurrat, vel ad aquam frigidam quam proficiat super se ad literā, vel ad aquā lacrymarū, vel ad aquā, id est tribulationē quācunq;, vel recipiat disciplinā bonā, vel pungat se fortiter, vel trahat sibi pilos barbæ, vel capitis, vel si nō vult adhibere tribulationis præsentiam, saltē adhibeat eius memoriā, vt cogitet de pœnis quæ debētur peccato luxuriæ. Ad istud remediū pertinet, quod legitur Prou. 20. Dolor vulneris absterget maculam. Ecclē. 11. Malitia vnius horæ obliuionē facit luxuriæ maximā. Ad idem pertinet quod legitur in Vitis patrum de quodam sene, qui quum tentaretur grauiter de quadā muliere quā receperat in hospitio suo, ipse accendit lucernā, & combussit omnes digitos suos. Sicut autē ille merito combureretur super cuius vestē ignis caderet, qui præ pigritia illi à se non excuteret, nec esset compatiendū ei. Et sicut merito domum suā amitteret qui videns domum suā comburi, aquam non quæteret: sic merito ignis luxuriæ eos cōsumit qui ad aquam tribulationis non currunt, cū vident ignem consumere, non vestes suas vel domum, sed se ipsos. In qua pigritia satis ostendunt, q̄ magis vilipendunt se ipsos, quā aliqua suorum. Sene. Nihil est homini seipso vilius, si homo tūc intraret in aquā frigidā vsque ad pectus, ex quo nō immineret ei ex hoc periculū, non esset malū. ¶ Secūndū remediū est vt homo subtrahat sibi de cibo & potu: secundum enim ligna syluæ exardescit ignis: vt legitur Eccl. 28. Pāphilus: Detrahe ligna foco, protinus ignis abest: & præcipue de illis gene

Ec

ribus ciborum & potuū, quæ inflammant ad luxuriam: vt sunt fortia vina & acuti saporis. Ista enim sunt non qualiacūque ligna ad nutrimentū luxuria, sed sunt quasi faculæ ardētes ad eā incendendā. Vnde sicut deridendus erit ille qui faculis ardentibus domū suam accenderet, si diceret q̄ combustio eius sibi displiceret: Sic deridendi sunt qui dicunt se velle continere, cū talibus cibis & potibus domus suas incendant. ¶ Tertiuū remediū est, vt homo elōget se ab igne luxuria. Hoc remediū docet nos Apostolus, ad Cor. 6. dicens: Fugite fornicationē. Super quod verbum dicit Ambrosius: Quum aliis nempe vitiis potest expectari cōsiliū: hāc fugite, ne approximatis: quia nō potest aliter melius vinci. Ad idem monemur exēplo Ioseph: de quo legitur Genes. 39. q̄ cum domina sua diceret ei, Dormi mecum: ipse relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.

¶ *Quod fugiendo homo debeat pugnare contra peccatum carnis.*

TRIPLEX autem ratio potest assignari quare fugiēdo pugnandū sit cū peccato carnis. Primū est, quod luxuria ignis est, homo verō est vel scēnū vel stupa. Primum potest haberi ex illo verbo Esa. 40. Omnis caro scēnum. Secundū ex illo verbo, Eccles. Stupa collecta synagoga peccantiū. Nulla autē securitas potest stupæ vel sceno esse iuxta ignē. Secūda ratio est, quia luxuria peccatum est valde immundum. Vnde sicut non esset bonum luctari cū homine lutoso, quia licet deiceret eum, tamen se inquinaret: & sic non est securū luctari cū peccato isto. Vix enim potest esse quin homo non inquinetur ibi. Ad hoc potest referri quod legitur Eccles. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Tertia ratio est, quia nō est bonum de propē pugnare cum hoste illo qui ex propinquitate sumit vires. Talis est luxuria. Corpus enim nostrum quod prius erat pacificum, cōuertitur in hostē. Vnde sicut princeps aliquis timet pugnare cū hostibus suis, quando credit, quod in exercitu suo multi sunt proditores qui debeāt iuuare hostes suos quādo cōflictus venerit: sic debet timere homo pugnare contra luxuriā, quū corpus nostrū ad motum proditoris contra nos in pugna illa fiat.

¶ *Quod mulieres sint fugiendæ*

AD hoc enim q̄ mulieres nobis fugiendæ sint, faciunt testimonia scriptura quæ sequūtur, Eccles. 30. Commorari leoni & draconi placebit, magis quā habitarē cum muliere nequam, Hierony. Ianua diaboli, via iniquitatis: scorpionis percussio, nocuum genū est feminarum. Idem: Ego iudico, si cum viris mulieres habitent, viscerium diabolo nō deerit. Ex his occupa-

rum

tum est ab initio peccatum. Ecclesia. 25. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes motimur. Hieron. Prima tentamenta clericorum sunt frequentes accessus mulierum.

*De tribus quæ solent homines ex accessu mulierum ad se decipere.*

CAP. II.

Sed tria solent circa aliquos decipere, scilicet sanctitas mulierum, fiducia de propria castitate, & consanguinitas. ¶ Contra primum dicit Hieron. Si pudicitiam quæris, feminam quam videbis bene conuersantem, mente dilige, non corporali frequenter ornatu. ¶ Contra secundum similiter dicit Hieron. Ostiolum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terent. Vide ne sub eodem tecto mæleris, nec in præterita castitate confidas. Nec David sanctior, nec Samson fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod paradisi columnam mulier de possessione sua, eiecerit. Si dixerit forsitan aliquis se non stipulam esse, sed ferrum, & ideo non oportere eum timere mulierum familiaritatem: scimus quod ignis ferrum ipsum immutat, & quasi ignem induit. Sic & ignis luxurie etiam homines ferreos immutat in malum. Vnde Hieron. Ferreas mentes libido domat. Ex duobus etiam lapidibus si inuicem collidantur, ignis exit: Sic ex familiaritate duarum personarum, quæ quasi lapideæ videntur, exit quandoque ignis luxurie. ¶ Præterea, et si murus à cædela iuxta se posita non comburatur, tamen denigratur. Sic licet homo non cadat ex familiaritate mulierum in peccatum carnis, tamen aliquantulum inquinatur. Vnde Hieron. Crede mihi, non potest cum domino toto corde habitare, qui foeminarum accessibus copulatur. ¶ Contra tertium dicit Hieron. Si generis gratia iudicas mulieres nullo modo dimittere, memeto quod Thamar à fratre suo corrupta sit: præcipue verò debet homo cauere ne sit solus cum sola. Vnde Hieron. Solus cum sola secreto absque arbitris ne sedeas. Ad hoc facit quod legitur Gen. 39. Accidit quadam die ut intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret: & illa apprehensa lacina vestimenti diceret, Dormi mecum: & ipse fugit. Sicut autem fugienda sunt mulieres, ita & manuscula earum. Vnde Hieron. Crebra manuscula, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandas dulcesque, literas sanctus amor non habet. ¶ Fugienda etiam sunt loca in quibus homo possit vel spectare mulieres, vel spectari ab eis. Ad quod pertinet quod legitur Eccl. 3. noli circūspicere in vicis ciuitatis, nec obseruaueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta. Ad hoc essent homines multum admonendi post Pascha, hæc enim est occasio recidivandi multis

Ee 2

*De choreis & quàm malum sit ducere eas, multis testimoniis scripturarum ostenditur.*

CAP. II.

**L**icet autem sint fugienda loca vniuersaliter in quibus mulieres possunt vel videre, vel videri, specialiter tamè fugienda sunt loca in quibus dicuntur choreæ. Vnde hic de choreis agemus ostèdentes quàm malum sit choreas ducere. Primo ex testimoniis scripturarum. Secundo rationibus multis quàm periculosum hoc sit. Tertio, quàm fatuū sit hoc. ¶ De testimoniis autem scripturarū sufficiat ponere septem. ¶ Primum est illud verbum Augustini: Melius est in dominicis diebus arare vel fodere, quàm choreas ducere. ¶ Secundū est illud quod legitur Exod. 32. Quasi appropinquasset Moyses ad castra, vidit vitulū, & choros, iratusque valde, proiecit de manu tabulas, & cōfregit eas ad radicem montis. Deinde assumptis secum filiis Leui, interfecit tria millia. Alia litera habet vigintitria millia. Ex hoc quod Moyses qui erat mansuetissimus hominum qui erant in terra, adeo iratus fuit, & tantam vindictam sumpit de hoc quod Dei honores vitulo impenderant & choreas duxerāt, satis potest esse manifestum, quantum irasci deberet, si quis zelum animarum haberet qui diuino seruitio contempto & neglecto videret diuinos honores impendi non vitulo, qui est creatura Dei: sed ipsi vanitati lasciuia per vitulum designata; vitulus enim animal est lasciuum. Temporibus illis quibus deberent homines audire cantus ecclesiæ, audiunt cantus lasciuia. ¶ Tertium testimonium est illud quod legitur Matth. 14. quod saltatrix fecit amputari caput Ioannis. In hoc enim præfiguratum est, quantam potestatem habiturae erant saltatrices ad separandum eas, in quibus est gratia Dei, quæ per Ioannem designantur à capite suo Christo. ¶ Quartum testimonium est quod legitur Ezech. 25. Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gausa es toto affectu super terram Israël: idcirco ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis. ¶ Quintum est illud August. Omnis motus petulantiæ, saltus est in profundam cloacæ. ¶ Sextum est illud quod refert Greg. in dialogo de quadam sorore, cui de nocte in visione apparuit beata Virgo, atque coxuas in albis vestibus ei ostendit puellas, quæ cum illis se admiscere appeteret, & se illis adiungere non auderet, beatæ Mariæ voce requisita est, an vellet cum eis esse, & in eius obsequiis viuere. Cui cum puella diceret. Volo: mandatum protinus accepit, vt nihil ultra leuè & puellare ageret, & à risu & iocis abstineret, sciens quod

inter

inter virgines quas viderat ad eius obsequiū die xxx. veniret. Quibus visis in cunctis suis moribus puella mutata est, & omnē à se leuitatē puellaris vitæ remouit. Cūq; parēres eius eā mutatam mirarētur, quid sibi beata virgo iusserat, & quo die iturā esset ad eius obsequiū indicauit. Tunc post xxv. diēs febre correpta est, & die xxx. cū hora exitus sui appropinquassēt, eandē Dei genitricem cū puellis quas in visione viderat, ad se venire cōspexit. Cui se vocāri rēspōdit, & aperta voce bis clamare cōcepit, Ecce domina venio, in qua voce reddidit spiritū & ex corpore virgineo habitatura cum suis virginibus, exiit. In hoc, q̄ puella quæ volebat processioni beatæ Virginis interesse, mādātū accepit vt à iocis abstineret, satis potest perpēdi, q̄ ingressus processions chorearū prohibebat ab ingressu processions cælestis. Vnde multū fugiēdā sunt huiusmodi processiones, quæ à tali processione hominē phibēt. ¶ Septimū testimoniū est Apō. 9. Vbi legitur, q̄ ascendit fumus putei abyssi sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aer de fumo putei abyssi, & de fumo putei exierūt locustæ in terrā. Fumus ascendēs de puteo abyssi, est fætor & ardor luxurię qui obscurauit solem, id est cœterum sacerdotū, quorū est illuminare ecclesiā & aerē: id est, cœtū contēplatiuorū pro magna parte. De hoc fumo exierunt locustæ: id est, cantatrices & saltatrices se non regentes ratione, sed incedētes inordinatē ac si bruta animalia essent. Hæ locustæ nihil omnino virens relinquunt in terra ecclesiæ, sicut de locustis Ægypti legitur Exo. 10. Hæ locustæ dicuntur exisse de fumo putei, nō quia habeāt ab eo, q̄ sunt, sed quia habēt inde q̄ locustæ sunt. Aliquæ enim quarum corda infecta sunt ex fumo putei abyssi, procurāt choreas. Aliæ verō ex leuitate sola in principio ei contentiunt. Iuxta hunc modum loquendi dicitur diabolus esse pater malorū, non quia ipsi habeāt ab eo q̄ sunt, sed quia habeant ab eo, id est, ab eius imitatione, q̄ mali sunt. ¶ Sequitur in visione Ioannis quibusdā interpositis: Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium. Innuit in hoc q̄ ornatus mulierum est quadam preparatio ad hoc, q̄ diabolus eis infideat, & Deum in eis impugnet, vnde sicut dicit Propheta de Domino, q̄ ipse posuit Ierusalē sicut equū gloriæ suæ in prælio: sic diabolus facit de talibus mulieribus. Sequitur, Et super capita earum tanquam coronæ similes auro. Hoc pertinet ad ornatum quē habent tales mulieres in capitibus. Et insinuat, q̄ ornatus quos istæ mulieres deferunt in suis capitibus, quos acquisuerunt à suis amatis, sunt quasi co-



rone pro multiplici triumpho quem habuit diabolus per eas de  
 filiis Dei. Sic solent strenui milites in torneamentis in capitibus  
 equorum suorum coronas ponere de floribus. Sequitur, Et fa-  
 cies eorum, sicut facies hominum. Sicut facies hominum dicit,  
 & non facies mulierum: propter mulieres quæ se depingunt,  
 quarum facies sunt sicut larvæ, sub quibus latent facies natura-  
 les, quas dñs eis dedit: quæ sunt pallidæ. Ad quas facies pertinet  
 quod dicit Hieron. Qua fiducia, inquit, erigit ad cælos vultus,  
 quos conditor non agnoscit? Sequitur: Et habebant capillos  
 sicut capillos mulierum. Sicut, dicitur, propter illas quæ deferunt  
 crines à mortuis mulieribus abscissos, qui nō sunt capilli mulie-  
 rum, quia nec mortuarū sunt, quia ab eis abscissi sunt: nec illarū  
 sunt quæ eos deferunt, sicut vuarū non sunt spinarū, etsi eis alligē-  
 tur. Et mirum est quomodo mulieres non timent deferre capil-  
 los mulierū mortuarū, & habere eos de nocte ad caput suū. Sed  
 verisimile est quod diabolus hanc audaciam procuret in eis. Cuius  
 signū est hoc, quod ipsæ deferre timent camisiā vel aliā vestē  
 mulieris mortuæ, de capillis verò nō timent, de quibus videtur  
 magis esse timendū. Sequitur, Et dentes earum sicut dentes leo-  
 num. Hoc pertinet ad rapacitatē talium mulierū. Ad hoc perti-  
 net quod legitur Eccl. 9. Ne respicias mulierem multiuolam: tot  
 enim volunt tales mulieres ab amatoribus suis, quod mirū est.  
 Sequitur, Et habebant loricas sicut loricas ferreas. Hic insinua-  
 tur incorrigibilitas earum. Sicut enim in lorica non potest vna  
 macula ab alia separari: sic non potest eis persuaderi vt vnū de  
 ornamentis suis dimittāt. Et vox alarū earum sicut vox curruū  
 equorum multorū currentiū in bellum. Sicut exercitus magnus  
 suo tumultu hostes fugat quādoque & deuincit, & clamore aues  
 volantes cadere facit: sic exercitus diabolicus chorearū solis deri-  
 sionibus & clamoribus suis deuincit bonos, & illos qui habe-  
 bant pennas virtutum à sublimitate vitæ inchoatē cadere facit.  
 Quod dicitur, alarū, pertinet ad velocitatē quam habent in di-  
 scurrendo. Quod dicitur, vox curruum, pertinet ad tumultum  
 quem faciunt. Sequitur: Et habebant caudas similes scorpio-  
 nibus, & aculei erant in caudis earum. Hoc referendum est ad  
 hoc, quod mors æterna est finis carnalium voluptatum. Vel  
 ad hoc, quod ad mortem culpæ homines pertrahunt. Sequi-  
 tur, Et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.  
 Hoc potest referri ad hoc quod à Pascha vsque ad Autum-  
 num præcipuè nocent choreæ ecclesiæ Dei. Sicut enim reges  
 tempore isto solent ad bella procedere, vt hostibus suis auferant

rant

rant quod in hyeme labore acquisierunt: sic diabolus quàm citò est Pascha, congregat exercitus chorearum, & aufert ecclesiã quod in Adventu & Quadragesima acquisierat. Sequitur: Et habebant super se regem angelum abyssi. Diabolus enim eas regit, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, & Latinè habens nomen Exterminans. Glos. interli. A patria vitæ exterminare, est exulem facere. Vnde merito vocatur exterminans diabolus, tentans homines per mulieres: quia per eas hoc in exilio sumus, iuxta verbum Hier. prius positum, Memento semper, q̄ paradisi colorem mulier de possessione sua eiecerit, & valde potens est dæmon ille ad faciendum homines exulare à caelesti patria. ¶ Rationibus ostenditur quàm periculosum sit choreas ducere. ¶ Consequenter ostendendū est rationibus, quàm periculosum sit choreas ducere. ¶ Sex autem sunt per quæ potest ostendi hoc. Primum est hoc, q̄ diabolus in choreis non habet vnicū gladiū, sed tot quot ibi sunt p̄sonæ pulchræ & ornatae iuxta verbum Hiero. prius positum, Gladius igneus est species mulieris. Vnde non parum timendū est, vbi tot gladij hostis conspiciuntur: cum vnicus etiã gladius eius multum timeatur. Præterea, ibi percutit diabolus gladio euaginato: tunc enim pallia & supertunica remouetur. Cum enim alibi percutit, gladium inuoluit. Cum etiã gladius iste ex omni parte secet, ibi ex omni parte percutit. Ostendit enim ibi se ex omni parte antè & tertio à dextris & à sinistris. Percutit etiam ibi gladio exacuto. Ad choreas enim nõ veniunt nisi prius preparata: q̄ preparatio quædam exacuatio est gladij diaboli. Motu etiã circulari quasi quadam mola diaboli exacuitur gladius iste, idest, pulchritudo augetur: quia quæ pallida est, & quasi febricitans ibi à fatuis pulchra creditur. ¶ Secundū est, quòd diabolus nõ vitur ibi facula vnica ad accendēdum corda hominum, sed pyra immensa. Vnde cum vix possit esse aliquis diu iuxta vnã de faculis istis quin calefiat: quomodo non calefiat, vbi tot sunt faculae ardentes? Præterea matres quæ filias suas ornant & ad choreas mittunt, quasi festucas vngunt, vt melius ardeant, & in ignem proiciunt. ¶ Tertium est, quòd in choreis vitur diabolus potentioribus armis quæ habet, & ferè omnibus modis quibus vti potest. Potentiora arma quæ diabolus habet, sunt mulieres. Quod patet per hoc, quòd diabolus elegit mulierē ad deiiciendū hominē primum. Has etiam elegit Balaam ad deiiciendū filios Israël: vt legitur in libro Num. 24. vbi habetur, q̄ Balaam dixit ad Balach, Dabo consilium quid populus tuus huic populo faciet extre-

mo tempore. Istud consilium fuit, quod ipse Balach mitteret mulieres de Moab ad filios Israël quæ deciperent eos. Et sic factum est: ut patet parum infra, scilicet 25. vbi sic dicitur: Morabarur autem eo tempore Israël in Sethim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, qui vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adorauerunt deos earum. Et Apocal. 2. habetur quod dicit Deus per Ioannem angelo Pergami, Habeo aduersum te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docuit Balach mittere scâdalû corâ filiis Israël, edere & fornicari. Hanc dimisit diabolus Job, sperâs, quod per eam deiceret eum Per hanc etiâ voluit deicere Tobiam. Per hanc David, Sampsonem, & Salomonem deiecit. Diabolus tribus modis per mulieres tentat homines insipientes, scilicet tactu, visu, & colloquio. His tribus modis simul in choreis per mulieres tentat homines insipientes, scilicet tactu manuum, cantus suauitate, & pulchritudinis ostensione. In quibus quantû est periculû, ostensum est prius. ¶ Quartû est, quod nulli sancto vel sanctæ deserunt honorem qui choreas ducunt: imò omnibus contumeliam faciunt. Sicut enim contumeliam facit alicui sancto qui peccat in loco ei dedicato: sic qui peccat in tempore ei dedicato. Vnde cum in nullo festo timeant choreas ducere, nulli sancto timent contumeliam facere. Præterea cum prohibitus sit eis labor in diebus festis, etiâ ille qui esset ad honorê Dei & vtilitatem propriâ vel proximi, nunquam cõcessus est eis labor qui sit in contumeliam Dei & sanctorum, & damnum proximi. Irridendus videtur esse qui petit requiẽ producentibus choreas, quæ absque pœnitentiã decesserunt, cum laborem in vita suâ quieti prælegerint, & in diebus festis quiescere noluerunt. Nec habent aliquem sanctum qui pro eis intercedat, quia omnibus contumeliam fecerunt. ¶ Quintum est, quod ducẽtes choreas faciunt quodammodo contra omnia sacramenta ecclesiæ. Primo cõtra baptismum: quia frangunt pactum quod inierunt cum Deo in baptismo, cû patrinus earum dixit pro eis, Abrenuntio diabolo, & omnibus pompis eius. Pompã enim siue processionem diaboli intrat, cum choreas intrant: vnde patrinus earum possunt timere ne de promissione illa rei apud Deum inueniantur, si non admonuerunt eas diligenter, ne choreas intrarent. Processio diaboli, est chorea in qua ad modum conuersarum diaboli se habet, quæ non intrat, sed assistunt. Tanquam moniales diaboli sunt quæ intrant & cantant. Quæ autẽ assistunt, participes sunt maleficiorum quæ ibi fiunt conuersæ sunt participes beneficiorum quæ fiunt à sororibus

bus quæ nouerunt cantare. Signū autem quod chorea est pro-  
 cessio diaboli, est hoc, quod tēdit ad sinistram: Ad hoc potest re-  
 ferti illud, quod legitur Prouer. 4. Vias quæ à dextris sunt nouit  
 Dñs: perueriæ uero sunt quæ à sinistris sunt. Cōtra sacramentum  
 etiam ordinis quodammodo faciunt qui choreas ducunt. Sunt  
 enim quasi simiæ clericorum, & tale seruitium diabolo offerūt,  
 quale clerici Deo, & per cantus earum cantus ecclesiasticus cō-  
 temnitur & negligitur. Qui enim deberent interesse uesperis, in-  
 tersunt choreis. Cōtra sacramentum matrimonij etiam fit ibi:  
 & quia mariti multū ibi detrahitur, quibus dicitur, Pour mon  
 mari si &c. & multi incitantur ad faciendū cōtra matrimonij fi-  
 dem: apertè etiam contra matrimonij legē ibi prædicatur: ut eū  
 cantatur, quod pro paruo marito vxor dimittere non debeat  
 quin amicū habeat, eum secundū legē Dei etiam leprosum di-  
 mittere non debeat, quin loco & tempore ei debitum reddat, si  
 ipse uoluerit. Faciunt etiā contra sacramentū confirmationis, in  
 quo in fronte signum crucis susceperunt tanquam emptæ pas-  
 sione Christi. In choreis uerò signo crucis abiecto, signum dia-  
 boli in capite proprio posuerunt, signum scilicet uenalitatis,  
 quasi Christus non emerit eas. Posuerat Christus vexillū suum  
 in fronte earū tanquam in eminentiori parte castri sui, & ipsæ  
 vexillum diaboli pro eo posuerunt, non absq; magna contume-  
 lia Christi. Faciunt etiam contra sacramentū pœnitentiæ, per quā  
 Deo reconciliatæ erant in Quadragesima, dum pacē illā fran-  
 gūt, & in exercitū diaboli addunt. Faciunt etiam cōtra sacramē-  
 tum altaris: quia ad mensam Dei panē celestem susceperunt, &  
 post nihilominus Dei terrā igne incendunt, similes Iudæ, qui cū  
 comedisset ad mensam domini, accepit cohortem, & à pontifici-  
 bus & pharisæis ministros, & uenit contra Iesum: ut habetur Io.  
 8. Cōtra sacramentum uerò extremæ vnctionis pauca possunt  
 facere, quia pauca illud susceperunt. Si quæ tamē illud susce-  
 perunt, faciunt contra illud, quālo sanitatē acceptā à Deo, in sacra-  
 mento illo expēdunt in contumeliā largientis. ¶ Sextum, per  
 quod potest ostendi quā malū sit choreas ducere, est multitudo  
 peccatorū quæ committunt personæ quæ choreas ducunt. Pec-  
 cāt enim gressu, ornatu, cantu, tactu, uisu, auditu &c. Gressu pec-  
 cant, nullū enim passum faciunt qui non bene numeretur. Vnde  
 Iob 31. Nonne ipse cōsiderat uias meas, & cūctos gressus meos  
 dinumerat? Ornatu uerò peccant quib; modis. Primo, quia inde  
 superbiunt. Secundo, quia corda intuentium ad luxuriam accen-  
 dunt. Tertio, quia alijs qui non habent similes ornatus erube-

scientiam faciunt, & dant eis occasionem concupiscendi similia. Quarto, quia reddunt eas querulas & molestas maritis suis. Quinto, quia si similia à maritis suis habere nō possunt, per peccatum ea aliunde habere volunt. Cantu etiam peccant multipliciter. Primo, quia attrahunt corda aliquarum personarum quæ nō sunt iuris sui: vt sunt iuuenes maritatae vel filie familias quibus mariti vel parentes prohibēt ne eāt ad choreas, & tamē adeo attrahunt corda earum, q̄ vadūt, & in reditu mariti vel parentes verberāt eas, iurant, litigant, & multa alia mala occasione ista faciunt. Propter hoc comparantur cantatrices Sirenis. Esaiā 17. Vbi sic legitur, Respondebunt ibi vlulæ in ædibus suis & Sirenes in delubris voluptatis. Vlulæ aues sunt, quæ rostro in palude fixo strident. Vnde significant cantatrices quæ rostro cordis fixo in palude luxuriæ cantant. Sirenes sunt secundū quosdā pisces marini in specie muliebri. quæ cantu suo dulci homines decipiunt. Delubra vocat loca in quibus voluptuosi vacant voluptati, vt eos insinuet esse idololatrias. Secundō cantus earum tētat etiam corda sanctorum. Et est illa sagitta diaboli ineuitabilis, à qua non defendit murus, nec aliquid tale. Ab ornatu potest homo abscondere se, sed à cantu non sic. Tertiō, quandoque potest esse occasio mortis alicui in firmanti cantus earū qui quiete indiget, & si quiesceret, curaretur: moritur autē, quia cātatrices nō p̄mittūt eū quiescere. Quartō absittētes ad libidinē inflāmat. Sicut cātus ecclesiasticus excitat ad spirituale denotionē sic, talis cātus ad libidinē. Quintō, corda audientū inebriat vino gaudij temporalis. Vnde quasi ebrij Dei obliuiscuntur omnino, & etiā se ratione nō regūt. Præter hæc interdū est in cātilenis earū turpiloquiū, & interdum mendaciū cōtra legem Dei. vnde mirum est, quomodo apud Christianos hoc toleratur, quod inter eos contra legem eorum prædicetur, cū apud gentiles statutum sit, vt quicumque contra legem eorum prædicauerit, interficiat.

¶ *Quod fatuum sit in presenti choreas ducere, vel alia signa letitiæ habere.*

**O**STENSVM est quantū sit periculum chorearū: cōsequenter est ostēdendum quā fatuum sit in presenti vita choreas ducere, vel alia signa letitiæ habere. Fatuitas verō ista satis apparebit nobis, si diligenter attendamus vbi sumus, & quo tendimus. In prima cōsideratione inuenimus nos esse in exilio, in valle miserie & lacrymarum, & in regione vmbre mortis. De primo dicit Aug. Nescimus quo sine claudimur in exilio isto. Et in Psal. Quomodo cantabimus canticū domini in terra aliena? si

Si viris sanctis graue est cantare in terra aliena etiam canticum domini, quid debet esse de cantico diaboli? De secundo etiam dicit Augustinus: In valle miserix sumus, in qua eo magis flendum, quo minus flemus, qui deberemus esse in caelo vel saltem in terrestri paradiso, qui est locus amenissimus vsque ad globum lunarem attingens, nunc heu sumus in valle miseris plena, vbi interdum infixi sumus in limo profundo vsque ad genua, vbi ventis & grandine & pluuiis impugnamur, vbi aduersantur nobis quae ad seruiendum nobis creata sunt quaedam animalia: vt lupi, leones, & serpentes quaerunt nos interficere, & quaedam non permittunt nos quiescere, nec de die, nec de nocte, vt pulices & similia. Quaedam nobis volunt eruere oculos, vt culices & similia. Ad tertium pertinet quod legitur in Psal. Ascensionem in corde suo disposuit in valle lacrymarum. Quis locus est cantui vel risui in valle lacrymarum? Ideo dicitur Eccl. 2. Risum reputaui errorem. Et Aug. dicit super Ioan. risum talium esse phreneticorum. Et Eccl. 22. dicitur quod musica in luctu importuna sit narratio. Sicut importuna esset narratio eius qui narrationem suam proponere veller, licet omnes imponerent ei silentium: sic importuna est narratio illorum, qui in risu & laetitia sunt in mundo isto, cum omnia ad fletum moueant quae in hoc mundo videtur, si vere agnoscantur. Vnde Eccl. 1. Qui addit scientiam, addit & dolorem. Mala praesentis vitae per se & immediatè luctum inducunt: bona vero praesentia inducunt causam luctus: id est, peccatum. Quocumque homo se vertat, videt vnde flere possit & debeat. Si sursum respiciat, videt patriam caelestem, à qua exul est, incertus vtrum vnquam ad eam sit peruenturus. Si deorsum respiciat, videt sepulchrum suum terram scilicet in quam necessariò reuertetur. Si ad dextram prosperitatis, & ad sinistram aduersitatis se vertat, videt quod cadunt à sinistris mille, & à dextris decem millia. Si autem respiciat antè, in promptu sunt multae causae flendi. In occulto Verò, id est, à tergo, sunt multo plures. Plura enim sunt pro quibus flere debemus quae non videmus, quam ea quae videmus. Quis potest locus esse risui inter tot Dei iniurias, inter tot proximorum miseras, inter tot fratres nostros, quos quasi inferetris peccatorum iacere videmus? Corpus peccatoris quasi feretrum est, in quo mortuus spiritus iacet. Talia meditabatur Ieremias, cum diceret, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo interfectos filios populi mei, Ierem. 9. Quis desilire non debeat, vbi ad fletum monet ipse Deus & verbo & exemplo: Verbo, vt Luc. 6. Beati qui nunc flētis quia

quia ridebitis. Et post, Vae vobis qui rideris nunc, quia lugebitis & flebitis. Exemplo vero Luc. 19. vbi post gaudiū & cantū cum quo susceperant eum in Ierusalem venientem, subiūgitur: Et vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit super illā dicens: Quia si cognouisses, & tu, innuens cantum huius vitæ & gaudium ex cæcitate prouenire. Bernardus: Compatitur Dei filius, & plorat: homo patitur, & ridebit. Etiam ad fletum monent paruuli, qui nondum sunt vnus diei. Augustin. Puer à ploratu incipit, nec ridere potest propheta calamitatis. Lachrymæ sunt testes miseria: nondū loquitur, & iam prophetat. Erubescant cantatrices ibi non flere, vbi infans qui nondū est vnus diei, prædicat esse fiendum. Quod autē simus in regione vmbrae mortis, patet ex illo verbo Lucæ 1. Visitaui nos oriens ex alto: illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent ad dirigēdos pedes nostros in viam pacis. Ad idē potest referri quod legitur Esa. 9. Habitātib; in regione vmbrae mortis, lux orta est eis. Potest autem vocari vita ista vmbra mortis: quia magis assimilatur morti quā vitæ. Vel propter proximitatē quam habent ad mortem culpæ illi qui hic viuūt vita gratiæ. Omnia enī querunt mortem spiritualem eorum. Vnde Dauid, Inimici mei circumdederunt animam meam. Item Hieronymus: Gladium tenet hostis vt me perimat. Ex omni parte sunt pericula spiritualia & laquei. vnde Guido Cartusienis: Laqueos bibis, comedis, vestis, dormis. Omnia sunt laqueus. Vmbra etiam mortis potest dici, propter proximitatē quam habet ad mortē pœnæ æternæ, qui in peccato sunt. Quasi ad portam inferni sunt tales, ita vt inter eos & infernum non sit nisi transuersum corporis, vt si à corporibus recedant animæ, statim quasi in puncto sint in inferno. Dauid: Appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Iob 21. Tympanum & citharam tenent & gaudent ad sonitū organi: ducūt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Illa etiam pars mūdi in qua sumus, quasi stabulum est in domo Dei. Quæ domus tota est machina mūdi. Palatium eius est celū. Et quale est in hoc stabulo sordido choreas ducere? Ad hoc valet quod legitur Luc. 10. Imponens illum in iumentū suum, duxit in stabulum, vbi glo. non domum, sed stabulū dixit, quo nomine miseriae & fœtores huius vitæ designat, ne homo in hoc exilio quasi in patria gaudeat. Sed hunc fœtorem non sentiunt qui fœtidi sunt. Vnde Bern. Vbi omnes fœtidi sunt, fœtor vnus minimè sentitur. Si quis etiam atredat quod nos tendimus, satis videbit quod fatuū hic est cantare vel choreas ducere: quasi enim duci

ducimur ad mortem. Sen. Omnes supplicio capitali condemnati sumus. Et August. Nihil aliud est tempus huius vite, quam cursus ad mortem. In quo nemo paululum itare vel tardius ire permittitur, sed vrgentur omnes pari motu. Singulis diebus facit homo dietam vnā ad mortem corporis. Et talis est proximus morti, qui se credit remotum. Ad hoc potest referri quod narret Greg. in dialogo de Fortunato, qui audiuit quendam vnā simiam ferentem qui ante portam suam cepit cymbalis ludere, & clamauit: Heu heu mortuus est infelix iste. Et post cibū sibi datum quū egrederetur ianuam, saxum cecidit in verticē eius, altero die funditus vitam finiuit. Quale est hoc, hominē morti condemnatū, cum choreis & instrumentis musicis ad tormentum suum ire? Ad mortem suam cantando & lætando vadunt qui choreas ducunt. In hoc cygno sunt similes, qui ante mortē cātare dicitur. Quale etiam est hoc, ad districtissimū iudicium ire, lætando, præcipuē cum sentiat se homo in tot & tantis culpabilem. Ad hoc pertinet quod legitur in Vitis patrum de quodam patre, qui videns quēdam ridentem ait: Reddaturi sumus rationē de vita nostra coram cœlo & terra, & tu rides. Ad idem potest referri exemplum de rege illo qui memor malorū suorū & diuini iudicij gaudere non poterat. Qui interrogatus super hoc à quodam fratre suo, voluit ei causam ostendere: vnde misit buccinatores suos ad portam fratris sui, quod secundum cōsuetudinē illius regni certum signū erat mortis. Deinde quum frater regis ad regem esset adductus, & non modicum timeret & valde tristis esset, requisit rex quare non gauderet: qui cum respondisset ei, Quomodo in statu tali possem gaudere? Indicauit ei rex causam tristitiæ. Si enim ille tantū timebat qui sciebat regem esse fratrem suum, qui in nullo se sciebat regē esse culpabilem apud eum, quia aliqua signa offensæ regis audierat: merito timere potest qui tot & tantis scit se esse culpabilem, non apud fratrem, sed apud dominum maiestatem.

*De alijs remedijs contra Luxuriam. CAP. IIII.*

Sequitur de alijs remedijs cōtra peccatum Luxuriæ. Et cum Luxuria nō sit qualiscunq̄ ignis s. ignis infernalis, summum remedium contra ipsam est oratio: vnde sicut ille qui patitur morbum illum qui ignis infernalis dicitur, alicubi se facit referri ad ecclesiam beatæ Mariæ Virginis, vt Parisiis: alicubi ad sanctum Antonium nec inde recedit donec curatus sit: Sic qui ignem luxuriæ sentit, toto corde deberet se conuertere ad Deū & ad suffragium sanctorum, & non deberet cessare donec accepisset



piſſet ſanitatē, & poſt deberet ſequi gratiarū actio, & ſingulis diebus reddere deberet homo Deo & ſanctis aliquem ſenſum vel ſeruitium in ſignum liberationis: quia ſcriptū eſt, Erūate, & honorificabis me. Si quis tanto ardore quæreret curatiōnem ab illo igne infernali, quanto quærit curatiōnē ab illo, vix non eſſet quin impetraret. Hoc remedium docemur Sapient. 8. vbi ſic legitur: Vt ſcivi quoniam aliter non poſſum eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum, alij dominū, & deprecatus ſum illum. Specialiter autem valet contra peccatum illud beata virgo Maria, quæ ſic amatrix eſt munditiæ in ſe, ſicut in aliis. Et ſpecialiter aliquod ſeruitium faciendum eſſet, vt ab hoc igne liberaret. Tamē in hac parte cauendum eſt à temerariis votis. ¶ Quintum remedium eſt, honeſta occupatio: quia, Otia ſi tollas, perire Cupidinis arcus. ¶ Sextum eſt, aqua ſapientiæ ſalutaris. Vnde in Canonica Jacob 3. Quæ de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, id eſt, pudici. reddens. Vnde Zachariæ 9. Vocatur vinum germinans virgines: id eſt, virginales affectiones. Et dominus Ioannis 15. Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis &c. Hieronymus: Ama ſacras literas, & carnis vitia non amabis. Et Sap. 8. vocatur ſponſa. vbi ſic legitur. Quæſtui ſponſam mihi eam aſſumere. In quo verbo inſinuat quod adhærere ſapientiæ, ſit remedium contra illicitas delectationes carnis. ¶ Septimum remedium eſt eleemoſyna. Vnde ſuper illud 1. ad Timot. 4. Pietas ad omnia utilis eſt. dicit Ambroſius, Si quis miſericordiam ſequitur, ſi lubricum carnis patiat, vapulabit quidem, ſed non peribit. ¶ Octauum remedium habet hoc vitium commune cum vitio gulæ. Et hoc remediū eſt conſideratio mortis, vel ſtatus, in quo caro poſt mortem futura eſt: quia iuxta verbum Gregorij, Nihil adeo valet ad domāda carnis deſideria, ſicut cogitare ſemper qualis caro ſit futura mortua, ſicut in tractatu de Gula diximus.

*De prohibitione ſimpliſis fornicationis. PARS V. Quæ habet quatuor capitula*

*De ordine dicendorum in iſta parte. Et quod ſimplex fornicatio ſit prohibita oſtenditur authoritatibus.* CAP. I.

**Q**uinto loco in tractatu de Luxuria eſt dicendum de ſimpliſis fornicationis prohibitione. De qua hoc ordine dicemus. Primo oſtendemus ſimpliſem fornicationem prohibitā eſſe. Secundo oſtendetur eam prohibendā fuiſſe. Tertio oſtendemus quæſtionē illā, qua quæritur quare Deus prohibuit ſimpliſem

plicem fornicationē, diabolicā esse & irrationabilē & irrisione dignā. Quarto ostendemus, quod egit Dominus misericorditer cū genere humano, quum simplicem fornicationē prohibuit: quū possit tamen alicui contrariū videri, ex hoc quod ferē totus mundus perire propter prohibitionē istā videatur: & quia hæc prohibitio videtur esse contra multiplicationem humani generis.

¶ Quod autem simplex fornicatio sit prohibita, probatur, Primo ex hoc quod legitur Deut. 23. Non erit meretrix de filiabus Israël. Secūdo ex hoc quod legitur 1. ad Cor. 6. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum cōcubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnū Dei possidebunt. Tertio ex hoc quod legitur ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio & c. Et subiungitur: Qui talia agunt, regnū Dei non consequentur. Quarto, ex hoc quod legitur ad Ephes. 5. Hoc scitote, intelligētes quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Quinto ex hoc quod legitur Act. 15. quod dixerunt Apostoli & seniores fratres: Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Vbi dicit gl. interli. Necessaria sunt sine quibus non est salus. Vnde quū fornicatio ibi numeretur nisi quis ab ea absteat, non saluatur.

*Quare dominus prohibuerit simplicem fornicationem.* CAP. II.

Octo autem sunt per quæ potest ostendi quod simplex fornicatio prohibenda fuit. ¶ Primū est sterilitas, quæ frequenter est in illis, quæ indifferenter omnibus se exponunt. Si enim passim se omnibus exponere reddit eas steriles, sicut procurare sterilitatem contra legem naturalem est: sic exponere se, contra legem naturalem erit. ¶ Secundum est, quod educatio proli de naturali lege ad patrem pertinet, & educare eam non potest nisi eam agnoscat. Agnoscere verò prolem suam non potest pater, nisi matrem vt propriam habuerit. Vnde patet quod concessio simplicis fornicationis quæ impedit ne pater prolem suam educat, quodam modo est contra legem naturalem.

¶ Tertium est, crebra interfectio proli quæ sequitur ex fornicatione, & crebrior sequeretur si esset concessa. Matres enim non potentes proli prouidere, nec habentes auxilium à patre, suffocarent sæpe eam: sicut & hodie aliquæ faciunt. ¶ Quartum est hoc, quod vir reddit mulierem impotentem ad prouidē

uide

videndum sibi, & tempore quo est grauida, & quo iacet de prole, & quo occupata est circa prole educandā: quare videtur de lege naturali obligatus esse ad prouidendum ei tempore tali, quod concessio fornicationis impediret. ¶ Quintū est hoc, q̄ ita displicet viro quando vel vxor vel concubina se concedit alij viro. Secundum enim legem naturalem non deberet se coniungere alij mulieri, ex quo simile nollet fieri vllō modo. ¶ Sextum est, naturalis æquitas, quæ requirit hoc ne aliquis homo plus quā in vnā habeat, ne fortē sit aliquis qui nullā habeat. In æquali numero fuerunt fornicari à principio vir & mulier: nec est certum vter numerus per generationem amplius creuerit. Vnde sicut aliquis patet familias q̄ habet quatuor domos & quatuor filios, ordinat q̄ vnus non habeat nisi vnā, ne sit aliquis qui nullā habeat: sic Dominus ordinauit vt vir vnus nō habeat nisi vnā mulierem. ¶ Septimum est, pax generis humani. Si enim liceret cuiuslibet qualibet vti, sequerentur rixæ & odia, & multa homicidia. ¶ Octauum est, q̄ aliqua aues sunt, quarum est talis castitas, q̄ vna vni adheret vt patet in turturibus. Vnde quum nō minor debeat esse castitas hominis castitate turturis, vnus vir vni debet adherere mulieri. Indecēs est quod carnalior sit homo qui præter carnē habet spiritum rationale, quā auis quæ carnalitate habet solū. ¶ Possunt autē præter prædicta tres causæ assignari quare Dominus prohibuit aliquas voluptates, & secundum gustum & secundum tactum. ¶ Primo in signum domini. Vnde Augustinus dicit super Genes. Non erat vnde homo se dominum habere cogitaret, nisi ab aliquo prohiberetur. ¶ Secundum vt haberet homo vnde mereretur. Vnde August. similiter super Genes. dicit, Oportebat vt homo sub domino positus ab aliquo prohiberetur, vt virtus merendi esset obedientia, quæ sola verissimè est virtus. Si enim nihil fuisset prohibitum vel præceptū, nō posset aliquis male agere: & ideo non esset difficile, nec forsitan laudabile bene agere: quæ enim virtus est, si quis agat quod sibi placet? Sed in hoc est virtus magna, q̄ homo contra propriam voluntatem facit, & conformat se voluntati Dei. Vnde Sapiēs: Hoc solum virtuti adicies: quod propriæ voluntati detraxeris. Et poëta: Est virtus placidis abstinuisse bonis. Tertio vt homo assuescat proponere amorem Dei amori carnali. Ad amandum enim Deū super omnia tenetur homo ex illo mandato primo & maximo: Diliges dominū Deū tuū. Et ex sola transgressione huius mādātī posset aliquis damnari, etiā si nullū aliud speciale mandatū transgredereetur. Quod

*Quod fatuum sit querere quare Dominus simplicem fornicationem prohibuerit.*

CAP. III.

SEquitur videre quomodo illa quæstio sit diabolica & irrisione digna, qua quæritur quare Dñs prohibuerit simplicem fornicationem. Ideò verò diximus eam diabolicam, quia propofita est primo à diabolo talis quæstio, Gen. 3. vbi dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Dñs, vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Ideò verò diximus eam irrisione digna: quia nullus proponeret alicui homini similem quæstionem, qui eum proftulto non haberet. Si veniret aliquis ad aliquem ciuem, & diceret ei, Quare nõ permittis filias tuas prostitui? quare vis eas maritari? Estis vos fatuus? diceret ipse. Quanto ergo potius ille fatuus potest reputari, qui de caelesti rege hoc audet quærare, quare ipse filias suas nõ permittit fornicari, quare vult eas vel castas permanere, vel nuptiis tradi? Præterea, quærare quare Dominus de re sua aliquid prohibuerit, est quærare quare Dominus in re sua aliquid vel aliquod signum dominij tenuerit: quam quæstionem patet stultam esse: vt si quis quærat à rege Franciæ, quare non datis mihi totum regnum vestrum, vt nec aliquod signum dominij retineatis? Ibi permiserat Dominus bonum omne lignum, præter vnum, bene debuisset ei sufficere.

*Quod Dominus misericorditer egerit cum hominibus, prohibendo eis simplicem fornicationem.*

CAP. IIII.

EX iam dictis patet manifestum esse q̄ Dominus misericorditer egerit cum humano genere, quum simplicem fornicationem prohibuit viris, quia potius voluit eos habere fidele adiutoriũ, quã tales qui furarentur eis quicquid possent furari. Concubina: quæ nesciũt quandiu debent esse cum hominibus, furantur eis quicquid possunt. Cũ mulieribus etiã in hoc misericorditer egerit. Videns enim Dñs q̄ mulieres habituræ essent laborem in portando prolem in vtero, dolorẽ in parturiendo, sollicitudinẽ & occupationem & laborẽ in nutriendo, voluit vitos ante opus carnale eis obligari in iuuãdo eas. Cũ prole etiã misericorditer egerit. Frequenter enim periret proles, si simplex fornicatio esset cõcessa, vt prius ostẽdimus. Cũ toto etiã genere humano Dñs in hoc misericorditer egerit, cuius paci prouidit, Misericorditer etiam egerit cum genere humano, q̄ ab illa voluptate hominẽ cohibere voluit in parte qua nullus vitur nisi valde raro absque peccato. ¶ Ad id autẽ quod obijcitur, q̄ ferẽ totus mundus perit propter prohibitionem illam: Dicendum est, q̄ fortẽ plures perirent, si non esset prohibita fornicatio,

Ff

quæ modo pereant. Quia vel perirent propter nimium amorem quæ haberet ad mulieres. Vehemens enim amator propriæ uxoris, sicut dicit Ambrosius adulter est. Homines enim tunc nimis essent carnales: quia quæ non alliceret una, alliceret altera. Vnde Deu. 17. dicitur de rege, Nō habebit uxores plurimas, ne alliciât animâ eius, vel periret propter rapacitatē. Fornicariæ enim mulieres depauperât homines, & fures reddūt: vel propter odium, quando auferretur ab aliquo illa quâ amat: vel propter aliud peccatū quod fornicationem sequeretur. Ad id autē quod obicitur, quod hæc prohibitio est contra multiplicationē generis humani, in parte patet solutio ex hoc quod dictū est prius, quod illæ quæ omnibus supponūtur, steriles efficiuntur. Præterea, Dñs nō facit magnā vim in paucitate vel multitudine hominū. Vnde Eccl. 16. Ne iocūderis in filiis impiis, si multiplicentur. Et subiungitur: Melior est enim vnus timens Deū, quā mille filij impij. Et vtilius est mori sine filiis, quā relinquere filios impios. Et Eccl. 15. Non concupiscit Dñs multitudinem filiorum infidelium & inuulium. Scit enim Dominus quod melius fuisset malis mori sine filiis, quā relinquere filios impios. Vnde Dominus bene præcepit vel consuluit illud. Ex quo hoc sequitur, quod pauciores sint homines: quoniam videlicet ad hoc quod plures saluentur, vel ad hoc meliores sint qui saluentur. Vnde ipse consuluit castitatē & virginitatem, & similia. Prohibitio verò fornicationis saltem ad hoc valet, quod perfectiores sint qui saluantur. Nota peruersitatem quorūdam hominū, quibus ibi displicet proprietas. vbi Deo placet, in mulieribus scilicet: & ibi placet, vbi Deo displicet, scilicet in possessionibus.

*De allegantibus impotentiam continentium. PARS VI. quæ  
habet duo capitula.*

*De diuersis testimonijs scripturarum contra illos qui dicunt se non  
posse continere. CAP. I.*

**V**Ltimo in tractatu de Luxuria, dicendū est aliquid de impotentia continentium, quā multi allegant. Et primo ponemus diuersa testimonia scripturarū, quibus cōtra eos qui hoc dicunt possumus vti. Deinde ponemus multas rationes, quibus cōtra tales vtendū est. Et inter testimonia, Primò occurrit illud Gen. 4 quod dicit Dñs ad Cain, loquēs de peccato: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Vnde quasi mēdaciū Deo imponūt, qui dicunt se nō posse abstinere a peccato. Secūdo occurrit illud Job 6. Aut poterit aliquis gustare, quod gustatū affert mortē. Ex quo verbo videtur, quod potius deberet homo dicere,

dicere, Non possum fornicari: quā nō possum continere. Et in veritate qui perfectā fidē haberet, q̄ delectatio fornicationis esset venenata, sic faceret. Nōne si apponeretur alicui cibus amarissimus vel venenatus, ipse statim diceret, Non possum aliquo modo comedere: voluptas verō prohibita est: venenata & morte amarior. Vnde Eccl. 7. Inveni amariorē morte mulierē. Quod intelligitur de voluptate, quā est morte amarior: quia hic morte culpę interficit: in futuro verō interficit morte aeterna, tam corporis quā animæ. Ad idem potest adduci quod legitur Eccl. 15. Apposuit tibi aquā & ignē: ad quod volueris, porrige manū. Et pōt: Ante hominē vita & mors: bonum & malū, quod placuerit, dabitur ei. Ad idem facit illud Apostoli. Fidelis est Deus, qui nō permittet vos tēteri supra id quod potestis, & Matt. 11. Iugū enim meum suauē est, &c. Quomodo enim leuē est, si est importabile: Et illud 1. Ioan. 5. Hęc est charitas Dei, vt mādata eius custodiamus, & mādata eius grātia non sunt. Ad idem potest referri illud Hier. Maledictus qui dicit Deum pręcepisse impossibile. Idem: Violentiā facit Deo, qui perit ab eo quod soluere nō potest. Ius enim iustitię humanę est, nō esse licitū petere ab homine quod soluere nō potest. Quod si verū est, multo fortius nō est licitū iustitię diuinę petere hoc. Idē: O prophana temeritas, o velātorū insania, Deū sciētia duplici ignorātia cōdemnatis: scilicet q̄ nesciat quid fecit, q̄ nesciat quid iusserit, quasi imposuerit mandatū quod impleri non possit. Proh neas, imponitis iniquitatē iusto, crudelitatem pio, ac si vos quod suspicari sacrilegium est, ad salutē non fecerit, sed ad pōnā. In qua auctoritate insinuat Hier. illos esse blasphemos, qui dicūt se nō posse continere. Deo enim imponunt ignorantiam, iniustitiā & impietatē. Cōtra tales potest etiā adduci illud Aug. Nemo peccat in eo quod vitare non potest. Et illud, Peccatū adeō est voluntariū, q̄ si nō est voluntariū, nō est peccatum. Et illud Sen. Omitte excusationes, nemo peccat inuitus.

*Rationibus ostenditur, quod facti sint qui dicunt se non posse continere.*

CAP. II.

Consequēter sunt rationes ponendę, quibus vti possumus contra eos, qui dicūt se non posse cōtinere. Primō ergo dicimus illis, q̄ ipsi faciunt verecundiā sibiipsis, & confitentur suum magnum opprobriū. Confitentur enim vilissimam partem quā in eis est sibi dñari, & adeō perfecta dominatione q̄ oportet fieri, quod illa pars imperauerit, & hoc cum vigilis multis, cum laboribus multis & expensis, cū periculo animæ, &

FF 2

etiam corporis quandoq;. Bene videtur cor amisisse qui talem  
 seruitutē tolerat: melius esset tolerare seruitutem leprosi vnus,  
 quā istā. Vnde rectē numeratur fornicatio cum his quæ au-  
 ferunt cor. Osee 4. Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.  
 ¶ **Secundò** dicimus q̄ in talibus hominibus est impotentia,  
 quæ non videtur esse in paralyticis hominibus. Non enim pos-  
 sunt sedere, nec iacere. Si enim hoc possent, diabolus nō ferret  
 eos ad locum in quo fornicarentur. ¶ **Tertiò** dicimus q̄ cum  
 dignitas ista sit data homini præ cæteris animalibus, q̄ liberū  
 habeat arbitrium, ipsi nō solū similes facti sunt brucis, imò etiā  
 inferiores. Minus enim habent libertatis quā bruta, & quodam-  
 modo magis habēt brutalē concupiscentiā, & maiori seruituti  
 subiectam. Pisces enim temperat se ab esca si hamum videat, &  
 auis à granis si laqueū videat: miser verò homo timore mortis  
 æternæ nō potest se temperare ab esca voluptatis in omētaneæ.  
 ¶ **Quartò**, dicimus q̄ talis vno solo gattione præsentē nō au-  
 deret fornicari, sed sola verecūdia cohiberet eū: quanto magis  
 præsentia Dei & Angeli qui sibi deputatus est ad custodiā, de-  
 beret eū cohibere? Boëtius in lib. Cōsolat. Magna nobis, si dissi-  
 mulare nō volumus, indicta est prohibitis necessitas, cum ante  
 oculos iudicis agamus cūcta cernentis. Bern. In quo vis diuerso-  
 rio, in quo vis angulo reuerentiā habe angelo tuo, nec audeas  
 illo præsentē quod me vidente non auderes. Versificator: Cum  
 quid turpe facis quod me cernere ruberes. Cur spēs tante Deo  
 non magis ipse rubes? Non est dicendum q̄ equus non possit  
 cohiberi ex quo modico freno cohibetur: sic nō debet dicere,  
 non possum me cohibere à peccato carnis, ille quem frantum  
 erubescentiæ cohiberet. ¶ **Quintò**, dicimus q̄ non est verisimi-  
 le, q̄ domus alicuius hominis eo inuito cōburatur, ex quo ipse  
 voluntatiē ignē apponit. Ignē propriis manibus in domo cor-  
 poris sui apponunt, qui cibos & potus ad libidinem excitātes su-  
 munt. ¶ **Sextò**, dicimus q̄ non debet dicere infirmus, non pos-  
 sum curari, qui solū propter hoc nō curatur, quia cōsilio nō ac-  
 quiescit. Hæc est sola causa quare laborātes in infirmitate spi-  
 rituali nō curātur, quia cōsilio cælestis medici nō acquiescunt.  
 Illa quæ ad cōsiliū corporalis medici proprios crines depo-  
 neret, ad cōsiliū spiritualis medici non vult deponere alienos.  
 Usurarius qui corporali medico p̄ptos daret denarios ad cō-  
 siliū spiritualis non vult restituere alienos. ¶ **Septimò**, dicimus  
 q̄ nulla est eius excusatio, qui castrum fidei suæ cōmissum ho-  
 stibus domini sui vili pretio reddit, muris adhuc integris suc-  
 cursu

cursu nō postulatō à dño suo, nec expectatō : cūm sciat eum & posse, & velle subuenire ei. Nec est, credendū ei à domino suo, si dicat, nō poterā me tenere. Omnia ista facile est videre in eo qui pretio vilis voluptatis castrū corporis sui tradidit diabolo in primo cōsuetu tērationis, nō misso nuntio orationis ad dominum pro succursu, quū dñs possit ei subuenire, & velit. Non vult enim exheredari. Vnde Apostol⁹: Fidelis Deus qui nō permittet vos tēari supra id quod potestis: sed faciet etiā cū tentatione prouentū, vt possitis sustinere. ¶ Octauō, dicim⁹ qd nō videtur inuitus mori qui volūtariē mortē suā carē emit: nec inuitus capi, qui hostes insequitur, & inter man⁹ corū se ponit, quū sciat se eis nō posse resistere, quum sola fuga securus possit esse. Sic nō debet dicere, Non possum continere, qui confortia mulierū non vult fugere, quū debile se agnoscat. ¶ Nonō dicimus qd si talis qui dicit se nō posse cōtinere, haberet tantā voluntatē continēdi quantā habet vinū suū custodiēdi, de facili contineret. Si tanta diligētia obstrueret sensus corporis sui, cū sentit cōscientiā per eos aliquantulū dānificatā, quāta diligētia obstruit foramē dolij sui, cū perpendit per illud aliquantulū vini exisse? ¶ Decimō, quærimus ab eo qui se nō posse cōtinere dicit à quo cogitur ad fornicandū, vtrū à diabolo, vel à carne, vel ab ipsa muliere: A diabolo nō, cū dicat de eo Greg. Non est timendus hostis qui non potest vincere nisi volentē. Super illud Mat. 4. Si filius Dei es, mitte te deorsum: dicit Gl. In quo infirmus ostēditur, cū nulli nocere possit, nisi ille prius se deorsum miserit. Si dicat se à muliere cogi, ridiculū est hoc, cū potius ipse eā cogat. Si à carne, ille hanc excusationē non recipit qui ei dominium carnis dedit. Vnde Gen 3. dicitur ad mulierē quæ tenet figuram carnis: Sub viri potestātē eris, & ipse dñabitur tui. ¶ Vndecimō, quærimus à tali quo modo ipse intelligat hoc, Nō possum cōtinere: vtrū sic intelligat, non possum continere etiā si velim: vel sic, nō possū, quia nolo: Si primo modo, patet hoc esse falsum: quia si impulerit eū timor vel cupiditas ad hoc quod velit tam cito, potest cōtinere. Verbi gratia: Si debeat lucrari ex cōtinētia sua mille marcas, vel castrū, vel ciuitatē, vel domū, vel si sciat se tam cito post peccatū amissurū pedē suū, vel aliud membrū, vel si videat sibi paratū lectū igneum in quo oporteat eū iacere, cū à lecto mulieris surrexerit. Vnde Bern. Ignosce Dñe, ignosce, excusamus, tergiuersamur, vix est aliquis qui in eis q̄ ad te sunt experiri velit quid possit etiā quod prōptissimē secundū carnē potest vel secundum seculū, siue timor impulerit, siue cupidi-



ras traxerit. Si secundo modo intelligat, non possum continere,  
 quia nolo: igitur non est non posse in causa, sed potius non velle  
 in culpa, iuxta verbum Aug. Duodecimo potest quæri ab ipso  
 qui dicit se non posse continere, verum intelligat quod non potest  
 continere suis viribus sine Dei auxilio, aut intelligat quod etiam ad-  
 iutus à Deo non possit. Si secundo modo, hoc est manifestè fal-  
 sum, & etiam sapit hæresim. Si primo intelligat, hoc planè ve-  
 rum est. Sine adiutorio enim diuino nihil possumus: vnde Ioã.  
 15. Sine me nihil potestis facere. Et 2. Cor. 3. Non quod sufficientes  
 simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia  
 nostra ex Deo est. Et Aug. Dñe, sine te nihil sunt omnes cona-  
 tus mei. Et Sap. 8. Ut sciam quoniã aliter non possum esse conti-  
 nens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset  
 hoc donum: adij. Dominum, & deprecatus sum eum. Matt. 19. Cũ  
 quærerẽt discipuli, quis potest saluus esse? Respondit Iesus. Apud  
 homines impossibile est, apud Deum omnia possible sunt, vbi  
 dicit interlin. Impossibile est apud homines vt per se à suis cu-  
 piditatibus conuertantur. Et Ioan. 7. Nemo potest venire ad me,  
 nisi Pater meus traxerit eum. Hoc autè valde vtile est ostẽdere  
 hominibus, quod viribus suis saluari non possunt, nec à peccato absti-  
 nere. Hoc enim persuaso eis potest eos monere homo ad tria  
 valde eis vtilia: ad cor. iustificationẽ scilicet, ad excutiendam  
 quandã stultã præsumptionẽ, & fiducia qua credunt se conuerti  
 quãdo voluerint. De qua legitur Eccl. 29. Repromissio nequissi-  
 ma multos perdidit. Mira insania: ille qui non potest, cũ liber est,  
 diabolo resistere, sperat eã ab eo captus. erit & ligatus, viribus  
 suis de manibus eius liberari, quũ scriptum sit Job. 41. quod factus  
 est vt nullum timeret, & non est potestas in terra quæ ei valeat  
 comparari. Qui in mortali est, captus est & ligatus. Vnde Prouer.  
 5. Iniquitates suæ capiunt impiũ, & funibus peccatorum suorum  
 quilibet constringitur. Itẽ qui non potest se tenere ne ad impul-  
 sum tentationis cadat in foueã peccati: quomodo sperat se con-  
 fractũ casu, consuetudine præsum, agere peccatorũ obrutum  
 à tam profunda fouea per se exire eo qui impulit ei resistere?  
 Imò quod amplius est, sperat homines cũ morte spirituali mor-  
 tui fuerint, seipos posse resuscitare. Et vt breuiter dicã, in præ-  
 senti se nihil posse asserunt: sed in futuro, quando ex se erunt im-  
 potetiores & Dei adiutorio minus digni, quia est diutius offen-  
 derunt, quando etiam diabolus magis laborabit ad impediendũ  
 salutem eorum. Ipse enim calcaneo insidiatur id est, fini homi-  
 nis. Quod haberi potest ex hoc quod dictũ est serpenti Gen. 3.

Tu insidiaberis calcaneo illius. Tunc, inquā, omnia se posse presumūt. ¶ Secundò potest homo monere eos ad hoc quòd gratiā eius studeant sibi cōparare: sine cuius auxilio cōverti nō possunt eleemosynas suas largiēdo, orando Deū, & suffragia sanctorum & virorū iustorū implorādo. ¶ Terriò nō possunt moneri ad hoc ne fingant se quin faciāt quòd possunt, etiā aliqua quæ vidētur sibi difficilia. Dñs enim nō vult iuuare eos qui se nō iuuāt: imò quasi fingit se, quia ipsi fingūt se. Vnde Sap. i. Spiritus disciplinæ erugiet nētū. ¶ Item potest sic quæri ab eo qui dicit se cōtinere nō posse. Aut vis continere, & non potes: aut potes, & non vis. Si vis & nō potes, infidelis est Deus qui patitur te tētrari supra posse tuū. Præterea nōne credis q̄ omnia possis cū eo qui omnia potest? Sicut vulgariter dicit qui non habet nisi quinque solidos, Ego & rex habem⁹ centū millia marcarū. Nō potest parū esse illud posse, cuius defectū posse diuinū paratum est supplere. Si autē potes & nō vis, inexcusabilis es. ¶ Vltimò potest quæri à tali, an possit aliquo tēpore cōtinere. Quòd si dixerit sic per mēsem: ostēdendū est ei quòd potius sperare debet q̄ sequenti mēse contineat quā mēsto. Primò, quia cōsuetudo iuuabit eū. De qua Tullius: Optima forma viuēdi est eligēda, quā iocundā reddet assuetudo. Poēta: Quod male fers, assuesce, feres. Præterea sperare debet Deum esse paratiorem ad iuuandum, quum postquā per mensem pro amore eius cōtinuerit quā ante, si tamen ex corde instāter hoc petierit. Itē quā ipse nō sit securus de vita nō dico per mēsem, sed nec per vnā horā, qua ratione sperat se accepturū à Deo vitā, eadē debet ipse sperare se accepturū virtutem seruēdi Deo in vita illa, nec debet disponere se seruitorū diabo lo in vita q̄ nondū habet. Nō debet similis esse operario ebrioso & lasori, qui prius obolum perdit, quā illum lucratus sit.

## TRACTATUS IIII.

## De Auaritia.

De his que faciunt ad detestationem huius vitij PARS I. que habet nouem capitula.

De ordine dicendorum in isto tractatu. Et quòd natura dissuadeat Auaritiam. CAP. I.

**O**ST vitiū Gulæ & Luxuriæ dicemus de vicio Auaritiæ: quia tractatus de vicio isto vtilior est prædicationi, quā tractatus aliorum vitiorum, hunc enim ordinē tradit Ber. vt id prius, quod maturius ad salutē. De quo vitiō hoc ordine dicemus, Primò dicemus de his quæ